De imperio Constantini III, 641-668

Ioannes Kaestner



DE IMPERIO CONSTANTINI III

(641—668)

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

IOANNES KAESTNER
IENENSIS

TYPIS B. G. TEVBNERI · LIPSIAE MCMVII

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Unterzeichneten.

Jena, den 24. Februar 1906.

Prof. D. Dr. Gelzer,
d. Zt. Dekan.

De fontibus.

Tractantibus nobis historiam Constantini III[1]) primo loco nimirum fontes Graeci respiciendi sunt. Sed ut horum in numero scripta ampliora quae ab aequalibus composita sint nulla praesto esse valde dolemus, sic inter reliquas Graecas litteras a contemporaneis scriptas invenimus, ni fallor, nullas, quae quidem historiam profanam attingant. His enim solae res ecclesiasticae tractantur. Quibus ex omnibus sive scriptis sive instrumentis gravissimum mihi videtur exemplar 'typi', quem Constantinus, ut discordias suae aetatis ex diversis dogmatibus ortas tolleret, promulgaverat. Huius decreti exemplum inter acta concilii Lateranensis, quod anno 649 congregatum erat, ad nos venit.[2])

Deinde huc referenda sunt ea, quae de martyrio Maximi Confessoris ab Anastasio responsali et Anastasio monacho, illius discipulis, memoriae prodita sunt, qui maximae parti rerum quas narrant interfuerunt. De prima quaestione, quae Constantinopoli in Maximum eiusque discipulos instituta est, Anastasius responsalis accuratissime agit in tractatu qui inscribitur „*Ἐξήγησις τῆς κινήσεως γενομένης μεταξὺ τοῦ κυροῦ ἀββᾶ Μαξίμου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, καὶ τῶν ἀρχόντων ἐπὶ σεκρέτου*“.[3]) De doctrina trium voluntatum docemur duabus epistulis, quarum altera a S. Maximo ipso ad Anastasium monachum[4]), altera ab hoc Maximi discipulo ad monachos Calarienses data est.[5]) Porro commemoranda sunt

1) De nomine vide infra. Imperator a populo Constans appellatus Constantino nomine publice usus est. Sed apud omnes fere scriptores Constantis nomen invenies.

2) Mansi, Acta conciliorum X p. 1029; cf. Hefele, Conciliengesch. III p. 186 sq.

3) Migne Patrol. graeca 90 I p. 109 sqq.

4) Ibid. p. 132.

5) Ibid. p. 133. Huius epistulae exemplar latina lingua compositum ad nostram aetatem venit.

acta, quae „*Τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν καὶ ὁμολογητοῦ Μαξίμου, περὶ τῶν πραχθέντων ἐν τῇ πρώτῃ αὐτοῦ ἐξορίᾳ, ἤτοι ἐν Βιζύῃ· τὰ παρὰ τοῦ Θεοδοσίου ἐπισκόπου Καισαρείας Βιθυνίας, καὶ αὐτοῦ διαλεχθέντα*“ inscripta dilucide ostendunt, quantopere imperator enixus sit Maximum ad doctrinam monotheleticam convertere. Hisce actis relatio addita est, qua de gravibus suppliciis agitur, quibus Maximus eiusque discipuli ex consulto synodi Constantinopolitanae affecti sunt.[1]) Quorum exitus tractatur in epistula Anastasii responsalis ad Theodosium presbyterum Gangrensem scripta et scholio brevi quod litteras modo laudatas sequitur.[2])

Ut iam dixi, magnopere aequalium desideramus opera quae tempora Constantini illustrent. Proxime ad illam aetatem accedit Theophanes, qui in chronographia materiam omnium aliorum graecorum librorum, qui ad id quod agimus pertinent, longe copiosissimam exhibet. Quibus tamen ex fontibus auctor in ea operis parte qua de imperio Constantini agit conscribenda hauserit, difficile est diiudicatu, quia nulli ad nos venisse videntur. Ne nominum quidem scriptorum notitiam habemus. Itaque si Theophanis fontes indagare studemus, nil proficiemus nisi simul contextum eius ipsum accuratius perscrutabimur et cum scriptis eorum comparabimus qui postea et ipsi de Constantino aliquid prodiderunt.

Duobus locis diversis auctor refert quae tempore Constantini gesta sint. Atque primum sub A. M. 6121 (ed. de Boor I p. 331 sq.) narratione satis contracta illud tempus complectitur; deinde multo fusius accuratiusque historia quam tractamus p. 341, 12—352, 2 proditur, quo loco Theophanes res quae gestae sunt ex consuetudine sua singulis annis tribuit.

Videamus nunc de narratione paginarum 331 et 332. Quam si inspexeris, rebus ecclesiasticis aliquantum momenti dari invenies; etenim praecipue de papis Romanis et episcopis Constantinopolitanis et de differentiis ad dogma spectantibus agitur. Contra profanae historiae nisi paucis verbis mentio non fit. Quod cum ita sit, maxima huius loci pars ad historiam nescio quam ecclesiasticam redire videtur, qua in conscribenda auctorem praeter alias litteras etiam acta concilii Lateranensis inspexisse existimo. Conferas quaeso haec:

Theoph. p. 331, 15 sqq.:	Acta concil. Lateran. Mansi X p. 877 sqq.:
(*Πύρρος*) *καὶ λίβελλον ὀρθοδοξίας ἐπιδεδωκὼς τῷ πάπᾳ*	. . . *καὶ λίβελλον μεθ' ὑπογραφῆς ἰδίας ἐπι-*

1) Migne l. c. p. 135 sqq.

2) Ibid. p. 171 sqq. Quae scripta latina lingua composita exhibentur.

ἐδέχθη ὑπ' αὐτοῦ. τῆς δὲ Ῥώμης ὑποχωρήσας καὶ ἐν Ῥαβέννῃ ἐλθὼν ὡς κύων ἐπὶ τὸ ἴδιον ἐξέραμα ἐπέστρεψεν.	*δοῦναι τῇ καθ' ἡμᾶς ἀποστολικῇ καθέδρᾳ. ..... ὕστερον πάλιν δίκην ἀκαθάρτου κυνὸς εἰς τὸ ἴδιον ἐξέμημα ἐπέστρεψεν.*

Agathonem papam Martino successisse p. 332, 5 sqq. inepte refertur. Re vera post Martinum Eugenius, Vitalianus, Adeodatus, Donus sellam Romanam obtinuerunt, priusquam Agatho pontifex factus est. Et synodus de qua hoc loco sermo est Constantino Pogonato demum, filio Constantini III, regnante convocata est. Cum hac narratione perperam verba sequentia (p. 332, 8 sqq.) *οὕτω δὲ τῆς ἐκκλησίας τότε ὑπό τε τῶν βασιλέων καὶ τῶν δυσσεβῶν ἱερέων ταραττομένης* ... coniunguntur, quae propter sententiam potius ad antecedentia (p. 332, 2 sqq.) trahenda sunt. Itaque illa verba (p. 332, 5—8), quae non recte hoc loco exhibeantur, cum rationi temporum repugnent, interpolatione in contextum irrepsisse est suspicio.

Sub fine totius narrationis (p. 332, 10 sqq.) Theophanes de magnis calamitatibus, quibus Graeci regnantibus Heraclio et Constantino III ab Agarenis affecti sunt, conqueritur. Atque verba Theophanis ad auctorem quendam referenda esse existimo, qui illis temporibus vixerit et haud ita multo post proelium navale ad Phoenicem commissum (a. 655) mortuus esse videatur. Hoc colligi potest, ni fallor, primum ex vocibus „*τύπτων ἡμᾶς*“ et „*λέγω*“; deinde Graecos Arabibus semper inferiores fuisse traditur atque extremo loco ordinis calamitatum enumeratarum clades ad Phoenicem accepta profertur.[1]) De pactione autem anno 658 facta, ex qua Arabes Graecis tributum solvere debebant, nihil proditur, quamvis haec res magni momenti ponderisque fuerit. Itaque scriptor ille quo tempore nuntius percrebruit Arabes pactionem turpem a Graecis impetravisse non iam inter vivos fuisse putandus est. Quae si ita sunt, ab hoc auctore verba (p. 332, 17 sqq.) „*ἥτις οὐκ ἐπαύσατο, ἄχρις ἂν ὁ τῆς ἐκκλησίας διώκτης ἐν Σικελίᾳ κακῶς ἀνῃρέθη*“ componi non potuerunt; immo ea a recentiore quodam orthodoxo interpolata esse veri simile est.

Ut iam dixi, his verbis paginarum 331 et 332 res quaedam narrantur quae postea rursus accuratius produntur. Atque utrumque locum ad unum eundemque fontem pertinere ex hoc conspectu concludere potes:

1) Cladis Dathemensis nullo, ni fallor, alio loco, nisi hoc mentio fit.

p. 330, 31 sqq.: *τοῦ δὲ Ἡρακλείου τελευτήσαντος, καὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Κωνσταντίνου βασιλεύσαντος, Πύρρος σὺν τῇ Μαρτίνῃ φαρμάκῳ τοῦτον ἀνεῖλεν, καὶ βασιλεύει Ἡρακλωνᾶς, ὁ τῆς Μαρτίνης υἱός.*

p. 341, 12 sqq. .... *τελευτᾷ Ἡράκλειος ὁ βασιλεὺς ... βασιλεύει δὲ μετ' αὐτὸν Κωνσταντῖνος, ὁ υἱὸς αὐτοῦ, ... καὶ φαρμακευθεὶς ὑπὸ Μαρτίνης ... καὶ Πύρρου πατριάρχου τελευτᾷ. καὶ βασιλεύει Ἡρακλωνᾶς, ὁ Μαρτίνης υἱὸς σὺν τῇ μητρὶ Μαρτίνῃ.*

p. 331, 3 sqq. *ἡ δὲ σύγκλητος καὶ ἡ πόλις Πύρρον ὡς ἀσεβῆ σὺν τῇ Μαρτίνῃ καὶ τῷ υἱῷ αὐτῆς ἐξέωσαν.*

p. 341, 24 sq. .... *ἀπώσατο ἡ σύγκλητος Ἡρακλωνᾶν ἅμα Μαρτίνῃ τῇ μητρὶ αὐτοῦ ...*

De comprehensione Martini papae eiusque exilio et Maximi Confessoris tormentis Theophanes nos docet tribus diversis locis (p. 332, 2 sqq.; p. 347, 7 sqq.; p. 347, 21 sqq.; p. 351, 17 sqq.), quorum primus et tertius haud scio an affinitate quadam coniuncti sint. Conferas quaeso haec:

p. 332, 2 ... *τόν τε ἅγιον Μαρτῖνον καὶ Μάξιμον ἐνέγκας ἐν Κωνσταντινουπόλει καὶ βασανίσας ἐξορίᾳ παρέπεμψεν ἐν Χερσῶνι καὶ τοῖς κλίμασιν· πολλοὺς δὲ καὶ τῶν ἑσπερίων ἐπισκόπους ἐτιμωρήσατο.*

p. 351, 17 ... *καὶ Μαρτῖνον τὸν ἁγιώτατον πάπαν Ῥώμης ἀτίμως ἤγαγεν ἐν Κωνσταντινουπόλει καὶ ἐξώρισεν εἰς τὰ τῆς Χερσῶνος κλίματα, καὶ Μάξιμον τὸν σοφώτατον ... ἐγλωσσοτόμησεν ... καὶ πολλοὺς τῶν ὀρθοδόξων αἰκίαις ... κατεδίκασε ...*

Transeamus nunc ad eam chronographiae partem tractandam, in qua Theophanes res quae Constantini III tempore gestae sunt singulis annis mundi assignat. Wellhausen existimat Theophanem, cum de rebus Saracenorum eorumque proeliis cum Graecis commissis agit, non tam arabicos fontes quam syriacos adhibuisse.[1])

Theophanes sub A. M. 6146 de proelio agit navali, quod Arabes et Graeci anno 655 ad Phoenicem commiserunt. Fabulam, qua res a filiis Bucinatoris Tripoli gestae narrantur, ex syriaco quodam fonte fluxisse e comparatione Theophanis et Eliae Nisibeni[2]) (A. H.

1) Wellhausen „Die Kämpfe der Araber mit den Romäern in der Zeit der Umaijiden“ aus den Nachrichten der k. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen, Philol.-Hist. Klasse 1901, Heft 4, p. 445.

2) F. Baethgen, Fragmente syr. u. arab. Historiker. Abhdlg. f. d. Kunde d. Morgenlandes, hggb. von der D. M. G. VIII, 3 p. 113.

34) elucet. Quomodo autem extrema pars huius narrationis (p. 346, 9 sqq.) contaminatione inficetissima composita sit, infra demonstrare liceat. Atque videbimus scriptorem in proelio Phoenicio tractando duabus narrationibus usum esse, quas simplici errore Theophanes, quia idem agi non intellexerit, temere confuderit. Narratur hoc[1]: "cum Constans (sc. Constantinus III) imperator hostes sibi victoriam parere vidisset, homini nescio cui vestem suam induit. Et filius Bucinatoris antea commemoratus in navem regiam insiluit et Constantem arreptum in aliam navem transportavit et praeter opinionem servavit. Ipse fortiter in navi imperatoris insistens multos occidit se pro imperatore generosissime morti offerens. Quem hostes, postquam eum circumdederunt et in medio tenuerunt, imperatorem esse rati sunt. Cum multos necavisset, hostes eum interfecerunt una cum illo, qui veste imperatoris indutus erat. Imperator autem sic fugatus servatur et omnes relinquens Constantinopolim nave vectus est."

Huic Theophanis contextui satis discrepantiarum inesse apparet. Verba enim (p. 346, 15) . . . *ἐδόκουν αὐτὸν εἶναι τὸν βασιλέα* hoc loco ad filium Bucinatoris referuntur, quamquam fieri non potuit, quin hostes illum, qui imperatoris veste indutus fuerit, imperatorem ipsum esse censerent. Deinde quaedam verba vocesque bis referuntur.

Duarum narratiuncularum quas Theophanes conscripsit sola altera a Georgio Monacho (ed. de Boor, p. 716, 21 sqq.), altera a Bar-Hebraeo, Syro auctore, exhibetur sic, ut etiam ex Theophanis contextu utraque extrahi possit. Cf. haec:

Georg. Mon.:	Theoph.:
Ἐπιβουλῆς δὲ μηνυθείσης τῷ βασι-	
λεῖ, ἀνακοινοῦται ταύτην γνησίῳ τινὶ	
τῶν ὑπηκόων ἑαυτοῦ φίλῳ, ᾧ καὶ τὴν	*. . ἐνέδυσε . . . ἄλλον τὴν*
ἰδίαν ἐσθῆτα κατὰ τὴν ἐκείνου συμ-	*ἐσθῆτα αὐτοῦ.*
βουλὴν ἐνδύσας καὶ εἰς πενιχρὸν	
πλοῖον εἰσελθὼν σὺν ὀλίγοις ἀπέ-	*. . . ἀπέπλευσεν ἐν Κπό-*
πλευσε διὰ τῆς νυκτὸς ἐν Κπόλει σω-	*λει.*
θεὶς παραδόξως. τῇ δὲ ἐπαύριον ὁ	*. . . παραδόξως διέσω-*
τὴν βασιλικὴν ἐσθῆτα περιβεβλημένος	*σεν.*
ἐπιστὰς τῇ βασιλικῇ νηῒ συνάπτεται	*. . . ἐπιστὰς τῇ βασιλικῇ*
πόλεμον. ὃν οἱ πολέμιοι περικυκλώ-	*νηΐ. . . . τοῦτον δὲ κυ-*
σαντες δοκοῦντες αὐτὸν εἶναι τὸν	*κλώσαντες οἱ πολέμιοι*

1) Theoph. ed. de Boor I p. 346, 9 sqq.

βασιλέα ἰσχυρῶς ἐπολέμουν. ὁ δὲ πολλοὺς ἐξ αὐτῶν ἀνδρείως ἀνελὼν λαβὼν καὶ αὐτὸς καιρίαν πληγὴν ἐτελεύτησεν, πληρώσας τὸ γεγραμμένον· μείζονα ταύτης ἀγάπην οὐδεὶς ἔχει ἵνα τις τὴν ψυχὴν αὐτοῦ θῇ ὑπὲρ τοῦ φίλου αὐτοῦ.	*... ἐδόκουν αὐτὸν εἶναι τὸν βασιλέα ... πολλοὺς ἀνεῖλεν.* *... θανάτῳ ἑαυτὸν παραδοὺς ὑπὲρ τοῦ βασιλέως.*

Itaque Georgius Monachus, qui filii Bucinatoris nullam notitiam habet, tantum per eum qui vestem imperatoris induerit Constantinum servatum esse prodit. Hac memoria exempta restat altera, qua accipimus imperatorem a filio Bucinatoris esse servatum quaeque sola quidem a Bar Hebraeo (ed. Bruns-Kirsch, lat. vers. p. 111 sq.) exhibetur; conferas quaeso haec:

Bar Hebraeus:	Theoph.:
Ipse imperator occisus esset, nisi filius Bucinatoris in navem regiam saliisset et imperatorem ad aliam navem, ut servaretur, abripuisset. Ipse in nave regia mansit, multisque caesis tandem trucidatus est. Constans autem et frater eius in urbem regiam fugerunt.	*... καὶ εἰσπεδήσας ὁ υἱὸς τοῦ Βουκινάτορος .. εἰς τὸ βασιλικὸν σκάφος, τὸν βασιλέα ἁφαρπάσας καὶ εἰς ἕτερον σκάφος τοῦτον μεταβαλὼν ... ... μετὰ δὲ πολλοὺς ἀνελεῖν ἔκτειναν αὐτὸν οἱ πολέμιοι ... ὁ δὲ βασιλεὺς οὕτω τροπωσάμενος σῴζεται καὶ καταλιπὼν πάντας ἀπέπλευσεν ἐν Κπόλει.*

Videamus nunc de altero loco, quo Theophanem varias partes fontium contaminavisse elucet. Sub A. M. 6160 mortem Constantini imperatoris narrare sibi proposuit. Priusquam autem ad modum ipsum quo ille interemptus sit describendum transit, magnam partem, qua causae caedis verbis: *ἦν δὲ ἡ αἰτία αὕτη* enarrantur, inserit. Qua parte interiecta continuatio narrationis interrumpitur ita, ut mea quidem sententia illa verba: *ἦν δὲ ἡ αἰτία αὕτη* usque ad . . . *ἐν Σικελίᾳ ἔτη ϛ'* in fonte, quo scriptor in morte Constantini narranda usus est, nullo pacto fuerint. Haec coniectura probatur testimonio Cedreni, qui verba haec exhibet: *Τῷ κζ' ἔτει ἐδολοφονήθη ὁ βασιλεὺς Κώνστας ἐν Συρακούσῃ τῆς Σικελίας, ἐν τῷ βαλανείῳ ὃ λέγεται Δάφνη. συνεισῆλθε γάρ τις αὐτῷ Ἀνδρέας, καὶ ὡς ἤρξατο σμήχεσθαι ὁ βασιλεύς, δέδωκεν αὐτὸν μετὰ τοῦ κάδδου κατὰ τῆς κορυφῆς καὶ ἀπέκτεινε. τὸν δὲ θάνατον αὐτοῦ αὐθήμερον ἤκουσαν ἐν τῇ πόλει, φωνῆς ἐκ*

τοῦ ἀέρος ἐνεχθείσης. καὶ προβάλλονται οἱ Συρακούσιοι Μιζίζιον Ἀρμένιον βασιλέα κτλ.[1])

Cedrenus igitur, cuius contextus alia eaque nova (*τὸν δὲ θάνατον—ἐνεχθείσης*) contineat, quae a Theophane non exhibentur, ex hoc scriptore hausisse non videtur: immo cum altera ex parte iisdem fere verbis atque Theophanes usus sit, unum eundemque fontem adhibuisse putandus est. Qua de causa illa Theophanis verba (p. 351, 15—28), quae neque a Cedreno referuntur neque in continuationem narrationis quadrant, ab auctore aliunde sumpta esse existimo.

Causam, quae mortem Constantini effecerit, Theophanes repetit ex odio civium Byzantiorum, quod post caedem fratris imperatoris, exilium Martini papae Romani et tormenta, quibus Maximus eiusque discipuli aliique orthodoxi affecti essent, natum esse refert. Tunc autem, quamvis exspectemus verba, quae sensum fere habeant hunc: "idcirco Constans interfectus est", iterum legimus: *διά τοι ταῦτα ἐμισήθη σφόδρως παρὰ πάντων*, atque enarrantur res, quae antea p. 348, 4 sqq. iam commemoratae nequaquam respondent verbis: *ἦν δὲ ἡ αἰτία αὕτη.* Timore commotum Constantinum studuisse imperium Romam transferre, unde cognatos suos arcessi voluisset. Apparet has res illis causis attribui non posse. Ex his igitur discrepantiis haud scio an colligi possit Theophanem hoc loco varias partes fontium confudisse, quae antea eo ordine, quo Theophanes composuit, collocatae fuisse non videantur.

Ex duobus fontibus diversis verba sequentia emanasse puto:

Th. p. 348, 6 sqq. *καὶ πέμπει τοῦ ἀγαγεῖν τὴν γυναῖκα αὐτοῦ καὶ τοὺς τρεῖς υἱοὺς αὐτοῦ, Κωνσταντῖνον, Ἡράκλειον καὶ Τιβέριον· οἱ δὲ Βυζάντιοι οὐκ ἀπέλυσαν αὐτούς.*	Th. p. 351, 25 sqq. . . . *καὶ τὴν βασίλισσαν καὶ τοὺς τρεῖς υἱοὺς αὐτοῦ ἐπᾶραι ἠθέλησεν, εἰ μὴ Ἀνδρέας ὁ κουβικουλάριος καὶ Θεόδωρος ὁ Κολωνείας τὴν τούτου βουλὴν διεκώλυσαν.*

Eodem fere tempore, quo Theophanes chronographiam composuit, Nicephorus patriarcha breviarium[2]) scripsit, cuius partem tantummodo exiguam nobis in historia Constantini III scribenda usui esse dolemus. Etenim ea pars quae huc spectat nil continet nisi paucos menses, qui mortem Heraclii sequuntur. De imperio ipso Constantini nihil ex Nicephori libro colligere possumus, quia anni

1) Cedrenus, ed. Bonn. I p. 763, 12 sqq.
2) Ed. de Boor Lips. 1880.

642—668 magna lacuna hausti sunt. Eis autem verbis, quae de imperio Constantini II et Heraclonae facta aetatem tulerunt quibusque narratur, quomodo Constantinus III imperator factus sit, res multo fusius accuratiusque produntur quam in omnibus reliquis graecis fontibus.

Georgius Monachus in chronici parte quae nobis respicienda est componenda principali fonte Theophanis libro usus esse videtur, quocum saepissime ad verbum congruit. Praeterea etiam diversi fontis vestigia nobis occurrunt. Georgium Monachum non ex Theophane hausisse, cum narret, quomodo Constantinus apud Phoenicem servatus sit, antea iam vidimus.

De verbis autem, quibus imperatorem a fideli quodam regia veste induto esse servatum proditur, satis ambigi posse mihi videtur, num ab initio in uno eodemque fonte haec exstiterint.[1]) Refertur enim imperatorem propter insidias amico vestem suam induisse et nocturno tempore rate parva profectum esse. Sequenti die amicum vestimento regio ornatum pugnavisse et interfectum esse speciem imperatoris prae se ferentem. Mirum autem mihi videtur, quod insidias imperatori, cum adhuc proelium nondum commissum esset, collocatas esse proditur atque postridie, cum iam pridem in tuto fuisset, fidelem quendam eius vestem induere opus fuit. Nonne supervacaneum fuit imperatore servato vestem mutare? Constantinum autem proelio interfuisse et reliqui Graeci et Syriaci fontes consentiunt. Multo probabilius est eum hostibus undique instantibus, cum iam vitae ipsi periculum immineret, aliam vestem simplicem induisse et tenebris noctis occultatum omnibusque ignotum fugae se mandavisse. Quid, si verba „τῇ δὲ ἐπαύριον“ delemus? nonne hoc remedio omnes difficultates sublatas esse elucet? Certe nunc reliqua verba sententiam bonam praebent. Sin vero illa verba interpolatione nescio cuius in contextum irrepsisse negamus, totus hic locus ex duobus fontibus contaminatus esse videtur, quorum alteri verba „Ἐπιβουλῆς δὲ μηνυθείσης usque ad . . . σωθεὶς παραδόξως“, alteri reliquam partem huius fabulae attribuendam esse censeo.

Nunc vero commemoraverim chronographiam, quae sub nomine Leonis Grammatici[2]) ad nostram aetatem pervenit. Maxima pars contextus, quo de imperio Constantini agitur, ex Theophanis libro videtur fluxisse, quocum Leonem saepe ad verbum deprehendimus concordare.

1) Ed. de Boor, II p. 716, 21 sqq.
2) Ed. Bonn. p. 155, 18—p. 159, 1. 2) Ed. Bonn. I p. 753, 3—p. 763, 24.

Quod attinet ad Cedreni chronographiam, auctor in ea parte libri scribenda quae nobis adhibenda[1]) est praecipue Theophane usus est. Sed praeter hunc scriptorem idem etiam alium fontem inspexit. Haud raro enim eum cum Leone facere invenimus. Quamquam eum ex Leone ipso hausisse negaverim, quia interdum easdem res multo fusius prodit quam Leo. Itaque ea verba quae cum Leonis contextu congruunt ex communi fonte (sc. Symeone)[2]) emanasse existimo. Ad hoc commune exemplum verba Leonis et Cedreni haec referenda mihi videntur:

Leo		Cedrenus
p. 156, 2—13	=	p. 753, 4—11
p. 155, 20—22	=	p. 753, 13—15
p. 156, 18—20	=	p. 753, 17 sq.
p. 156, 20—157, 2	=	p. 754, 4—6.

Cedrenus in proelio Phoenicio narrando (p. 755, 17 sqq.) maximam partem e Theophane hausit; sed etiam verba usurpantur quae ad Leonis contextum spectant („*καὶ δὴ τοῦτο καὶ ἀπέβη*“ et „*ὁ δὲ βασιλεὺς μόλις διασωθεὶς ὑπέστρεψε μετ' αἰσχύνης ἐν Κπόλει*“). Itaque Cedrenum in hac pugna describenda praeter Theophanem altero quoque fonte usum esse colligi potest.

Ad quem ni fallor etiam haec verba spectant:

Leo	Cedrenus
p. 158, 18—23	p. 762, 3—7

Ad narratiunculam quae a Cedreno p. 762, 9—18 fusius proditur Leonis verba exilia (p. 158, 16 *διάκονον χειροτονηθέντα ὑπὸ Παύλου πατριάρχου*) haud scio an pertineant.

Etiam illa verba Cedreni, quae de morte Constantini imperatoris facta ex Theophane fluxisse negaverim (Cedrenus p. 763, 12 sqq.) forsitan ex Symeonis libro sumpta sint. Leo quidem nisi paucis verbis caedis imperatoris mentionem non facit. Ni fallor quae invenit verba fontis in breve contraxit.

Ei loci Leonis et Cedreni, quibus de sepulcris imperatorum Constantini II, Heraclonae, Constantini III, agitur (Leo: p. 155, 20—22, p. 156, 20—157, 2. Cedrenus: p. 753, 13—15. p. 754, 4—6. p. 763, 23—764, 1), ad catalogum proprium pertinere videntur.

Denique monendum esse puto Cedrenum solum omnium auctorum verba exhibere haec: (*Ἡρακλωνᾶς*) *δοὺς καὶ ἑκάστῳ*

1) Ed. Bonn. I p. 733, 3—764, 1.
2) Cf. Krumbacher, Byz. Litteraturgesch. 2. Aufl. 1897. p. 361.

στρατευομένῳ λεγάτον, νομίσματα τρία, ὑπὲρ Κωνσταντίνου ἀδελφοῦ αὐτοῦ (p. 753, 18 sqq).

His de fontibus graecis prolatis nunc mihi de Sebei Armenii et Ioannis Niciu, episcopi Aegyptii libris, quoad ad aetatem Constantini III imperatoris spectant, agendum erit.

Sebeos, episcopus Armenius in extrema parte libri qui inscribitur „Historia Heraclii"[1]) et usque ad annum 660 p. Chr. n. productus est nonnullos annos imperii Constantini III amplectitur. Cum scriptor praecipue ea quae in eius patria acciderant tractet et tempore earum rerum quas in ultimis capitibus libri narrat ipse vixerit[2]), ut ex eius verbis „hoc audivimus ex captivis Arabicis, qui spectatores et testes rebus interfuerunt et haec nobis narraverunt" elucet, certe eius memoria nobis gravissima nullo modo neglegi potest, siquidem de rebus quas Constantinus in Armenia gessit aliquid proferre volumus. Praeterea Sebeos etiam de Graecis et Arabicis rebus solis verba facit. Sed haec quoniam auctor fama et auditu tantum accepit, nisi cautissimi adhibere non possumus. Nam haud raro cum memoria aliorum scriptorum discrepant, quibus plus auctoritatis tribuendum est quam Sebeo. Hoc convenit in locos, quos scriptor Armenius de morte Constantini II imperatoris et de seditione et imperii usurpatione Valentini patricii composuit.

De uno tantummodo loco Sebei, qua de Graecis et Arabicis rebus agitur, hic disseram. Capite 36[3]) accuratissime narratur Maviam, Arabicum praefectum Syriae, anno duodecimo Constantini III imperii magnis copiis paratis cum classe Chalcedonem venisse, ut Constantinopolim obsideret et oppugnaret. Naves autem magna tempestate deletas et dispulsas esse. Haec narratio, quae a simplici modo reliqui contextus recedens prope ad poeticam rationem accedit, speciem veritatis prae se ferre mihi non videtur, quia testimonio neque Graeci neque Arabici scriptoris fulcitur, qui, cum ipsorum de rebus ageretur, imprimis aliquid de illa gravi expeditione Arabum, quae ad irritum est redacta, scire debebant.

Ioannes, episcopus Niciotes, in chronici ultima parte (cap. 111 sqq.) de expugnatione Aegypti ab Arabibus perfecta agit.[4]) Quae

1) Cf. Hübschmann, Zur Geschichte Armeniens und der ersten Kriege der Araber, Aus dem Armenischen des Sebeos, Leipzig. 1875. p. 4.

2) Ibid. p. 7.

3) Histoire d'Heraclius par l'évêque Sebèos traduite de l'Armenien et annotée par Fr. Macler, Paris 1904, p. 139 sqq.

4) Chronique de Jean, évêque de Nikiou, texte éthiopien publié et traduit par M. H. Zotenberg, Notices et Extraits XXIV 1 p. 553 sqq.

narratio propterea magni aestimanda est, quod scriptor temporibus quae tractat vixit et partim rebus gestis quae produntur interfuisse videtur. Memoriam eius gravissimam et saepe repugnantem scriptis, quae multo post res ipsas gestas ab arabicis auctoribus composita ad nos venerunt, A. J. Butler in libro qui inscribitur „The arab conquest of Egypt and the last years of the Roman dominion (Oxford 1902)“ plenam adhibuisse et concoxisse mihi videtur. Ioannes praeterea in partibus contextui reliquo immixtis, quae illo tempore Constantinopoli acciderint, narrat. Atque hae partes de imperio Constantini II et exactione Martinae filiorumque et rebus a Valentino gestis agentes, quae haud scio an ad Graecum fontem contemporalem redeant, omnium ceterarum narrationum quibus eaedem res tractantur longe uberrimae sunt; et cum non ita multo post res gestas conscriptae esse videantur, maxima auctoritas eis debetur. Ex his autem non solum de multis singulis rebus quarum in aliis fontibus nulla mentio fit docemur, sed etiam imaginem multarum rerum longe aliam atque illustriorem fingere licet, quam adhuc scriptores qui Ioannem nondum noverunt sibi facere potuerunt.

Atque imprimis existimo nunc de morte Constantini II imperatoris, Heraclii filii, non iam posse dubitari. Cum Sebeos omnesque fere alii auctores Constantinum II a Martina noverca, quae ipsa imperium appeteret, interfectum esse prodant, Ioanne teste imperator naturali modo e vita discessit. Ex eius verbis conicias eum morbo pulmonis confectum esse.[1]) Quae memoria testimonio Nicephori, qui item accurate res brevi post Heraclii mortem gestas tractat, corroboratur.[2])

Deinde verbis Ioannis Niciu seditioni, quae contra imperium Heraclonae Martinaeque matris conflata est, et eorum expulsioni lux adfertur. Ioanne auctore tumultus bis contra illum imperatorem eiusque matrem motus est. Atque primam seditionem esse confectam, postquam ab Heraclona et exercitu rebellante pactio facta et Constantinus, filius Constantini II, socius imperii nuncupatus sit. Brevi autem post bellum domesticum denuo exarsisse atque tunc demum Heraclonam cum suis imperio deiectum et expulsum esse. Sebeos quidem haec duo momenta belli civilis perperam confudit.[3]) Ea autem reapse secernenda esse etiam e Nicephoro elucet, cuius verba (l. c. p. 29, 19 sqq) in universum primae seditioni a Ioanne proditae respondent. Posthac Nicephori contextum lacuna esse de-

1) L. c. p. 565.
2) Nicephorus ed. de Boor, p. 28, 19 sqq.
3) L. c. p. 103 sq.

formatum valde est dolendum. Restat igitur alterius motus solus testis Ioannes Niciotes.

Num Ioanni, cum Valentinum patricium seditione contra Constantinum III mota incolumem evasisse prodat, fides debeatur, prorsus diiudicare non audeo, quia testimonia Sebei[1]) et Theophanis[2]) obstant, quorum uterque Valentinum necatum esse narrat.

Ioannes erravisse mihi videtur, cum talia prodat: „Pyrrus patriarcha Constantinopolitanus, postquam Heraclius imperator mortuus est, Constantinum (II) praetermissis Martina eiusque filiis successorem pronuntiavit. Quo facto David et Marinus, filii Martinae, eum prehendi et in Africam exulare iusserunt".[3]) Huius narrationis vestigia etiam Butler[4]) premit; sed hoc perperam facit, ni fallor. Iam Zotenberg in editione Ioannis p. 564[3] et p. 572[2] adnotavit hanc totam fabulam nulla fide dignam esse. Non enim credibile est Pyrrum a David esse in exilium missum, quippe qui tunc puer fere decem annorum fuerit.[5]) Et patriarcham semper a partibus Martinae eiusque liberorum stetisse ex reliquo contextu Ioannis et Nicephori libro satis elucet. Iam Heraclio vivo Pyrrus rebus Martinae favit, ut plane ex Niceph. p. 28, 12 sqq. colligitur. Itaque veri dissimile mihi videtur eum Heraclio defuncto parumper Constantini II partes secutum esse.

Transeamus nunc ad fontes Latinos tractandos, qui nobis praecipue in certaminibus vehementissimis illius aetatis ad dogma pertinentibus tractandis adsciscendi sunt. Inter eos imprimis adhibendae sunt vitae pontificum Romanorum Theodori, Martini, Eugenii, Vitaliani, quae in libro pontificali (ed. Mommsen M. G. H.) collectae sunt et acta concilii Lateranensis anni 649 (Mansi X) et epistulae Martini papae ad Theodorum datae (Mansi X p. 849 sqq.) et „commemoratio eorum, quae ... acta sunt in Martinum papam"; quod scriptum propterea quoque magni aestimandum est, quod ex eo aliquid de rebellione Olympii, Italiae exarchi, contra Constantinum III conflata comperimus.

Deinde, si quid de bello Langobardico et de rebus, quae Constantinus III in urbe Roma et Sicilia gessit, cognoscere studemus, praeter vitam Vitaliani „Historia Langobardorum" a Paulo Diacono conscripta et vita S. Barbati Beneventani episcopi in-

1) L. c. p. 106. 2) L. c. p. 343, 4.

3) Ioannes Niciotes l. c. p. 564.

4) L. c. p. 302.

5) David natus est die VII Novembris anni 630. Cf. Theoph. p. 335, 1 sq.

spiciendae sunt (M. G. H. Scriptores rerum Longobardicarum et Italicarum, saec. VI—IX. ed. Waitz). Auctor vitae S. Barbati narrat Beneventum urbem, quam Graeci obsedissent, liberatam esse non nisi auxilio et benignitate dei, postquam cives, qui de sua salute desperavissent, Barbato hortante se ad fidem christianam convertissent. Quanti haec fabula aestimanda sit, alienum est exponere. Sed etiam verbis, quibus discrimen et periculum, in quod Beneventani, antequam ad fidem christianam accessissent, vocati essent, illustratur et postea refertur *„divinis opitulationibus eum* (sc. Constantinum), *quem nequirent ad mentem flectere immensi ponderis argentum vel aurum atque innumera multitudo pretiosorum lapidum et margaritarum, Beneventum deseruisse“*, haud ita multum fidei tribuam; quippe quae facta esse mihi videantur, ut praepotens dei natura eo magis illustraretur.

Restat nunc, ut paucis verbis fontes Syriacos Arabicosque attingam, quibus praecipue in bellis quae inter Graecos et Saracenos gesta sunt describendis utendum erit. Inter Syriacos fontes chronici fragmenta, quae Noeldeke (Z. d. D. M. G. 1875 p. 82 sqq.) publici iuris fecit et vernacule vertit, magni aestimanda sunt, quod teste Noeldeke chronicon non multo post res quae tractantur compositum esse videtur. Deinde commemorentur chronica Dionysi Telmaharensis qui dicitur et Michaelis Syri et Bar Hebraei et Eliae Nisibeni, quibus partim ex Graecis exemplis derivatis interdum Graecae res tractantur.

Quod ad Arabicos fontes attinet, praeter paucos translatos adhibere nullos potui, quia Arabicae linguae imperitus sum; itaque in scriptis virorum doctorum, qui his in quaestionibus versati sunt, respiciendis mihi acquiescendum est.

His de fontibus praemissis nunc ad historiam ipsam scribendam accedamus.

Quomodo Constans imperator factus et in honorem patris Constantinus nominatus sit.

Heraclius imperator, qui XI die Februarii anni 641 e vita discessit[1]) testamento decreverat[2]), ut filii Constantinus et Heraclius aequo iure (ἰσότιμοι) succederent. Quorum alter, qui et Constantinus novus et Heraclius iunior nominabatur[3]), ex Eudocia, prima

1) Cf. Pagi, Critica ad a. 641, II.
2) Niceph. ed. de Boor p. 27, 13 sqq.
3) Theoph. ed. de Boor p. 300, 8. Niceph. p. 9, 1.

Heraclii uxore natus erat; alter Heraclius[1]), qui, ut a patre discerneretur, Heraclonas[2]) vocatus est, matrem habebat Martinam, quam filiam Mariae sororis Heraclius neglegens leges[3]) maxima cum offensione clericorum in matrimonium duxerat. Testator hanc a filiis veluti matrem et imperatricem honorari voluit. Nimirum Heraclio mortuo potestas rei publicae administrandae Constantino maiori natu attribuenda erat. Heraclius ipse eum imperio designavit; nam Constantinum iurare iusserat se, postquam imperator factus esset, omnibus, qui ab Heraclio patre exilio damnati essent, facultatem domum redeundi daturum esse.[4]) Quamquam igitur de successione nemo dubitare potuit, tamen Martina, quippe quae maxima cupiditate regnandi flagraret, se imperatricem iure imperium occupare posse rata est.[5]) Suo arbitrio populum, Pyrrum patriarcham, quo semper socio et amico fidelissimo usa est, magistratus imperiales convocavit et testamentum imperatoris defuncti recitavit. Populus autem, cum admittere nollet de iuribus imperatorum ab Heraclio designatorum detrahi; a Martina impetravit, ut Constantinus et Heraclonas, quos imperatrix contionem convocans praetermittendos esse putavit, arcesserentur. Sed cum Martina iam sibi imperatrici imprimis imperium deberi palam profiteretur, multitudo his intentionibus intercessit et eam admonuit verborum testamenti[6]), quod modo recitaverat. Nequaquam fieri posse putabant, ut mulier causam imperii Graeci agens legatos alienarum gentium acciperet eisque responderet.[7])

Talibus consiliis Martinae Constantinum nixum bono iure restitisse vel contra ea aliquid suscepisse, Nicephorus, quo solo fonte his in rebus narrandis utimur, nil prodit. Si re vera Constantinus, cum noverca tanta moliretur, patienter tantummodo se gessit, eius rationem non intellegere possumus nisi ex gravi morbo, quo ita confectus et debilitatus fuisse videtur, ut ius suum fortiter exsequi non posset. Itaque pro eo populus vel ei, qui ab eius partibus steterunt, contra arrogantiam Martinae egerunt idque ita, ut Martina copia consiliorum ad effectum perducendorum interim privaretur. Imperatrix facere non potuit, quin rebus infectis in palatium suum

1) Niceph. p. 15, 19. 2) Theoph. p. 331, 2. 341 sq.
3) Niceph. p. 14, 11 sqq. 4) Sebeos cap. 30, ed. Macler p. 99.
5) Niceph. p. 27, 23 sqq.
6) Niceph. p. 28, 2 „*σὺ μὲν τιμὴν ἔχεις ὡς μήτηρ βασιλέων, οὗτοι δὲ ὡς βασιλεῖς καὶ δεσπόται.*“
7) Ibid. „*οὐδὲ γὰρ βαρβάρων ἢ ἀλλοφύλων πρὸς τὰ βασίλεια εἰσερχομένων, ὦ δέσποινα, δύνασαι ὑποδέχεσθαι ἢ λόγοις ἀμείβεσθαι.*“

rediret.[1]) Constantinus autem et Heraclonas imperatores publice pronuntiabantur et Constantinus quidem, qui imperium exercens agnoscebatur, a populo dono eximio honoratus est.[2])

Martinam spe imperii brevi tempore post occupandi non esse deiectam facile conici potest, cum novus imperator morbo gravi et mortifero affectus esset. Eum ex pulmone laboravisse colligo, quod Ioanne Niciu teste sanguinem vomuit.[3]) Morbus imperatorem tantopere defatigavit, ut cotidie timendum esset, ne moreretur.[4]) Propter mite caelum Chalcedonem se contulit, ubi palatium aedificandum curaverat.[5]) Ut Constantinus, cum Heraclio mortuo Martina imperium sibi asciscere conata esset, ipse propter languorem corporis consiliis novercae, ut videtur, obluctari non potuit, ita etiam postquam imperator factus est, morbo impeditus fuisse videtur, quominus ipse imperium administraret. Ioannes Niciu eum non nisi specie imperio praefuisse prodit.[6])

Licet princeps rei publicae aegrotus et debilitatus praeesset, tamen in imperio regendo tantum vigoris et industriae invenitur, ut imperatorem fortibus et peritis sociis adiutoribusque usum esse coniciamus. Una cum imperio Constantinus a patre bellum in Aegypto contra Arabes gerendum velut hereditate acceperat. Agareni postquam duce Ambro (Amr ibn al Asi) in Aegyptum sub finem anni 639 invaserunt[7]), brevi tempore maximam partem provinciae Graecis ad Heliopolim (Iulio mense anni 640) victis[8]) sub suam potestatem redegerant; atque occupatio terrae eo facilius expedita erat, quod Aegyptii indigenae (vulgo Coptitae appellati), quippe qui a Cyro patriarcha Alexandrino multos annos propter fidem suam monophysiticam vexati essent[9]), Graecis infensi cum Arabibus fecerunt. Cum hostes septembri anni 640 Babylonem obsidione clausissent[10]), Cyrus ex suo arbitrio cum eis pactionem fecerat, qua constitutum erat, ut Graeci se subicerent tributumque solverent[11]). Sed Heraclius imperator pactum non probaverat et Cyrum, cui magnopere irascebatur, quia cum hostibus egerat, Constantino-

1) Niceph. p. 28, 9. 2) Idem p. 28, 3.
3) Ioann. Nic. l. c. p. 565.
4) Niceph. p. 28, 22 sqq. Cedren. I p. 753, 4.
5) Idem p. 28, 20 sq. 6) Ioann. Nic. p. 572.
7) Butler, The arab conquest of Egypt. Oxford 1902, p. 198.
8) Ibid. p. 221 sqq.
9) Ibid. p. 168 sqq.
10) Ibid. p. 249 sqq.
11) Num pactio in solam Babylonem an totam provinciam valuerit, plane diiudicari nequit; cf. Butler l. c. p. 262.

polim vocatum suppliciis datis exulare iusserat. Constantinus nunc secundum patris voluntatem ab exilio patriarcham Constantinopolim revocavit, ut inde Alexandriam remitteretur.[1]) Butler conicit imperatorem Cyro mandavisse antea Constantinopolim venire, ut de rebus Aegyptiacis, quas ille accuratissime novisset, cum illo deliberaret. Constantino regnante Graecis certum deliberatumque fuisse videtur, bellum contra Arabes in Aegypto gerendum acriter continuare. Ioanne enim auctore Constantinus naves ornari iussit et magnas copias exercitui Aegyptio auxilio missum iri pollicitus est.[2]) Horum consiliorum haud scio an Philagrius, praefectus aerarii, auctor fuerit, qui apud imperatorem plurimum valuit. Si tunc cura in novos belli apparatus intendebatur, magnas pecunias opus fuisse apparet. Cum sine dubio bellis in Syria et Aegypto gestis aerarium satis exhaustum esset, omnia erant molienda, ut pecuniae necessariae afferrentur. Qua re Philagrius Constantinum certiorem fecit magnas pecunias Heraclio vivo a Pyrro patriarcha in usum Martinae congestas esse, ne, si quando a Constantino depelleretur, ad extremam inopiam perduceretur. Pyrrus, qui arcessitus teste Philagrio et convictus est, pecunias reddere iussus est, etsi noluit.[3]) Deinde nihil nisi difficultatem nummariam imperatorem adduxisse existimo, ut coronam auream, qua ipse olim coronatus et qua ornatus pater sepultus erat, ex sepulcro afferri et aestimari iuberet.[4])

Philagrius, cum in odium Martinae venisset, timuit, ne Constantino mortuo, si Heraclonas eiusque mater summam imperii sibi ascivissent, ab eis aliquid mali acciperet.[5]) Et quia periculum erat, ne liberis Constantini, Heraclio vulgo Constanti dicto[6]) et Theodosio, ab Heraclona Martinaque, postquam imperium occupavissent, insidiae pararentur, Philagrius imperatori suasit, ut copias sibi conciliaret, quae eius filios tuerentur et prohiberent, ne ab adversariis aliqua iniuria afficerentur et ex imperio eicerentur. Hoc consilio gavisus Constantinus Valentinum patricium, qui fuit Philagrii hypaspistes, exercitui praefecit[7]), magnasque ei a Philagrio pecunias

1) Ioannes Nic. p. 564. Butler p. 302 adn. 2.

2) Ioannes Nic. p. 565.

3) Niceph. p. 28, 11 sqq.

4) Ibid. p. 29, 10 sqq. Cedren. I p. 753, 5 sqq. Leo, ed. Bonn. p. 156, 4 sqq.

5) Niceph. p. 28, 24 sqq.

6) Constans die 7 Nov. anni 630 natus est et baptizatus a Sergio patriarcha Constantinopolitano in Blachernis die 3 Nov. anni 631; cf. Theoph. p. 335, 2 sqq.

7) Sebeos l. c. p. 103.

dari iussit[1]), quo facilius milites in suas partes traheret eosque contra Martinam Heraclonamque excitaret, et ei litteris instructo infinitam agendi licentiam tribuit.[2]) Ut Sebeos refert, Valentinus copiis collectis ad orientales partes imperii profectus est.

Die 24 Mai mensis anni 641 Constantinus obiit[3]), cum classis, quam ornandam curaverat, parata esset ex portu exire. Corpus imperatoris defuncti in heroo Apostolorum sanctorum conditum est (Cedren. I p. 753, 13). De ratione qua Constantinus II e vita discesserit viri docti satis dubitaverunt. Omnes fere Graeci auctores imperatorem a Martina et Pyrro veneno esse necatum consentiunt. Sin vero consideramus verba Nicephori (p. 28): „*νόσῳ χρονίᾳ συνείχετο*" . . . . . . „*ἰδὼν Φιλάγριος ἀρρώστως αὐτὸν διακείμενον, καὶ ἐλπίσας τάχιον ἀποβιῶσαι* . . ." et Cedreni (I p. 753, 4): „*ἦν δὲ ἀσθενὴς τὸ σῶμα, καθ' ἑκάστην ὡς εἰπεῖν νοσηλευόμενος*" et Ioannis Niciu (p. 565): „sanguinem vomuit et mortuus est, postquam omnem sanguinem profudit", apparere mihi videtur imperatorem gravi morbo pulmonis confectum naturali modo e vita discessisse. Fama, qua Martina et Pyrrus eum interfecisse putabantur, brevi post mortem a Constantini partibus, ut cives contra Martinam excitarentur, pervolgata esse videtur, quod eo facilius fieri potuit, cum Martinam cupiditate imperii occupandi flagrare nemo ignoraret. Itaque intellegi potest etiam Sebeon, scriptorem coaevum famam pro vero rettulisse.

Heraclius qui testamento constituerat, ut filii essent *ἰσότιμοι*, Constantino mortuo Heraclonam succedere voluerat. Qui imperator quidem pronuntiabatur[4]), sed aeque atque frater mortuus non nisi nomine imperator fuit.[5]) Re vera Martina mater cum Pyrro patriarcha summam imperii tenuit; neque dubito, quin illa plurimarum rerum, quas scriptores ab Heraclona gestas esse tradunt, auctrix fuerit.[6])

1) Niceph. p. 28, 30 sqq.: *δεδωκὼς αὐτῷ χρήματα συντελοῦντα εἰς ποσότητα ἀριθμοῦ μυριάδων [πέντε] διακοσίων καὶ ἔτι μύρια καὶ ἑξακισχίλια νομίσματα.*

2) Niceph. p. 28, 29: . . . *τὴν λοιπὴν τοῦ πράγματος ἐργασίαν ἐγχειρίσας* . . .

3) Theophanes (p. 341, 14) prodit Constantinum quattuor menses imperavisse; Georgius Monachus (ed. de Boor 1904 II p. 673, 21) et Leo Grammaticus (ed. Bonn. p. 155, 18) summatim unum annum, Ioannes Nic. centum dies (l. c. p. 566), Nicephorus (l. c. p. 29, 6) accuratius centum et tres dies referunt.

4) Niceph. p. 29, 8. 5) Ioann. Nic. p. 572.

6) Cf. ibid.

Novus imperator, ut Heraclium patrem pietate coleret, coronam, quam Constantinus ex sepulcro afferri iusserat, in templo deo obtulit.[1]) Et in honorem fratris defuncti militibus singulis legatum trium nummum scripsisse dicitur.[2])

Ubi primum Martina ad rei publicae gubernacula accessit, alium cursum tenuit atque antecessores.[3]) Cum Heraclius et Constantinus filius omni studio ad bellum contra Agarenos in Aegypto gerendum incubuissent, Martina sociique ad pacem cum hostibus faciendam propensi erant; haud scio utrum speraverint pactione cum Arabibus facta provinciam illam fructuosissimam non totam Graecis amissum iri, an, quia arma civilia a Valentino imminerent, putaverint, se copiis Aegyptiis, quae bello confecto in promptu essent, ad adversarios domesticos impugnandos uti posse. Itaque Cyro, quippe quem patriarcham Alexandriae restituissent[4]), plena potentia instructó mandaverunt, ut pugnis finem statueret et pacem cum hostibus iniret. Quodsi eum monuerunt, ut curam provinciae rite administrandae adhiberet, ut Ioannes refert[5]), re vera tunc quidem spes defuisse non videtur Aegyptum provinciam Graeco imperio servari posse. Quamquam Martina et amici in animo habebant bellum componere, tamen una cum Cyro patriarcha copiae, quibus Constantinus quidam, praefectus militiae, praeerat, in Aegyptum missae sunt[6]); idque ex sententia Butleri (p. 307) factum esse videtur eo consilio, ut his copiis bello civili exorto partes Martinae in Alexandria augerentur.

Maxima iniquitate Martina sociique in eos qui a parte Constantini defuncti steterant usi sunt, quorum multos verberibus aliisque suppliciis castigaverunt. Philagrium autem, principem partis adversariae, postquam accusatio iniusta in eum conflata est, exilio multaverunt.[7]) Ioanne auctore Heraclonas (sive Martina) aedes sacras spoliandas curavit largitionesque, quas populus a pristinis imperatoribus accipere solitus erat, suspendit et vectigalia auxit. Talibus rationibus Heraclonam et eius matrem maximum in odium clericorum et civium venisse non est quod miremur. Imprimis

1) Niceph. p. 29, 10 sqq.

2) Cedren. I p. 753, 18 sqq.

3) Quid verba Ioannis Nic. p. 572 „Heraclonas senatu auctore . . . decretum, quod a Constantino fratre et imperatoribus antecedentibus scriptum est“ sibi velint nescio.

4) Ioannes Nic. p. 572. Niceph. p. 29, 13.

5) Ibid.

6) Ioannes Nic. p. 572.

7) Ioannes Nic. 572 sq. Niceph. p. 29, 14 sqq.

autem summam indignationem movisse dicuntur, quod in Philagrium, qui plerisque gratissimus erat, tanta asperitate usi sunt.[1])

Quo factum est, ut contra imperium odiosum tumultus orerentur; neque clerus neque populus Heraclonam, quia ex incesto matrimonio natus esset, iustum imperatorem agnoverunt.[2]) Itaque testamentum Heraclii irritum declarantes contenderunt summam imperii Constanti, maiori filio Constantini imperatoris, tribuendam esse.[3]) Valentinus, cum videret homines ubique animis infensis et inimicis contra Martinam eiusque socios esse, putavit occasionem nunc adesse Martinam et eius filios imperio deiciendi. Itaque pecunia quam a Philagrio acceperat usus copias sibi conciliavit et contra adversarios excitavit.[4]) In Aegypto bellum civile primum inter partes Martinae et Valentini ortum esse videtur. Ioannes narrat milites ab Arabibus impugnandis destitisse et arma contra cives tulisse.[5]) Valentinus Rhodum legatos misit, ut copias, quae cum Cyro profectae in illa insula versabantur, ad partes seditiosorum traherent et commoverent ut Constantinopolim redirent.[6]) Rhodi legati Valentini etiam cum Theodoro, praefecto Alexandriae, communicaverunt, quem hortati sunt, ne Martinae praeceptis oboediret neve eius filiis potestatem concederet in locum imperatoris Graeci succedendi.[7]) Legationes clandestinae Africam omnesque provincias Graecas adierunt, ut seditionem contra imperium odiosum conflarent.[8]) Valentinus ipse cum exercitu ex Asia minore contra Constantinopolim processit. Martina autem amicique eius haudquaquam omni praesidio carebant. Ioanne enim teste Heraclonas copias ex Thracia in caput venire iusserat[9]), quod fecisse mihi videtur eo consilio, ut et seditiosi Constantinopolitani opprimerentur et urbs ab exercitu Valentini defendi posset. Valentinum Constantinopolim aggressum esse non proditur; immo satis habuisse videtur Chalcedonem occupare.[10])

Heraclonas imperator, ut animos excitatos civium Constantinopolitanorum, qui eum liberis Constantini aliquid mali inferre velle suspicati sunt, placaret, omnibus Constantem incolumem ostendit et affirmavit puerum salvum esse et a se loco filii genuini haberi.[11])

1) Ioannes Nic. p. 572 sq.
2) Ibid. p. 573.
3) Ibid.
4) Ioannes Nic. p. 573.
5) Ibid.
6) Ibid.
7) Ibid.
8) Ioannes Nic. p. 573.
9) Ibid.
10) Ioannes Nic. p. 579. Niceph. p. 29, 21 sq.
11) Niceph. p. 29, 24 sqq.

Atque ut verba sua corroboraret, ipse testis aderat Constanti sacris Christianis initiando atque crucem manu apprehendens Pyrro praesente iuravit liberos Constantini neque a se neque ab alio iniurias accepturos esse.[1]) Idem Valentinum suspectum reddere conatus est, ne Constantinopolitani cum illo consentirent, dicens Valentinum filiis Constantini insidias collocare, quia ipse imperium appeteret.[2]) Quibus verbis num verum dixerit, diiudicari nequit. Suspicio autem, Valentinum non tam ut filios Constantini tueretur quam ut sibi ipsi summam imperii ascisceret motum excitasse iam hoc tempore non defuisse videtur; nam etiam Pyrrus Valentinum usurpationis imperii insimulavit[3]), quam haud multo post re vera perfectam esse infra videbimus. Heraclonas putavisse videtur se, postquam liberos Constantini in tuto esse pronuntiavisset, exercitum Chalcedonensem commovere posse, ut hostilibus desisteret, cum ipse Chalcedonem veniens coram copiis iterum affirmare et iurare vellet se placido animo in Constantem esse. His autem affirmationibus exercitus contentus esse non potuit, quia seditione id agebatur, ut Constans, filius Constantini II, imperator institueretur. Itaque accidit, ut Heraclonas a Valentino non acceptus re infecta Constantinopolim remitteretur. Teste Nicephoro, qui solus de hac actione imperatoris frustra suscepta nos certiores facit, Byzantii, postquam Heraclonas quae gesta sint narravit, Valentino maledixerunt et imperatori oboediverunt.[4])

Ut tunc quidem cives re vera aliquamdiu imperantibus faverunt, ita eorum animi brevi post mutati sunt. Multi enim Byzantii Chalcedone vineta habebant; cum autem tempus vindemiae accederet, vinum non solum colligere non potuerunt, quia copiae Valentini Chalcedonem occupaverant, sed etiam viderunt milites vineas delere. Quo factum est, ut partes eorum, qui Heraclonae eiusque sociis inimici erant, in urbe magnopere augerentur et indignatio civium erumperet, qui ut copiae quam celerrime Chalcedone recederent cupiverunt.[5])

Rerum gestarum quae secutae sunt difficile est imaginem claram proponere, quia fontes duo — Ioannes et Nicephorus, — quibus praecipue utimur, in rebus gravibus dissentiunt. Nicephorus p. 30, 12 sqq. talia refert: cives Byzantii cum comperissent vineas Chalcedonenses ab exercitu Valentini deleri, clamantes Pyrro patriarchae institerunt, ut Constantem coronaret. Postquam Pyrrus

1) Niceph. p. 30, 1 sqq.
2) Ibid. p. 30, 4.
3) Ibid. p. 30, 16.
4) Niceph. p. 30, 6 sqq.
5) Niceph. p. 30, 12 sqq.

Heraclonam de populi tumultu certiorem fecit, imperator filium fratris secum in templum duxit, ubi populo cedens eum corona Heraclii ornavit.[1]) Et infra p. 31, 17 sqq. Nicephorus prodit Heraclonam et Martinam, ne vineis magis detrimentum inferretur, facere non potuisse, quin cum Valentino communicarent pactionemque facerent. Contra Ioanne auctore[2]) Constans a Valentino aliisque patriciis, qui eum secuti erant, coronatus est neque id prius quam pactio inter Heraclonam et exercitum facta est. Quae Ioannis narratio, ni fallor, magis quam Nicephori speciem veritatis prae se fert. Etenim primum Constantem a Valentino imperatorem esse coronatum etiam Sebeos prodit.[3]) Deinde verba Nicephori haud ita legibus logicae coniuncta esse mihi videntur. Narratur enim Byzantios tumultum conflasse et petisse, ut Constans coronaretur, cum audivissent vineas suas a Valentini militibus destrui. Itaque secundum Nicephorum populus, cum Heraclonam cogeret filium fratris coronare, id egit, ut Constante imperatore coronato exercitus Valentini cum civibus in gratiam rediret neve diutius vineas vastaret. Sed nullo loco Nicephori invenimus exercitum ab armis recessisse, quamvis Constante coronato id, quod copiae rebellantes voluerunt, perfectum esset. Immo potius Nicephorus, ut iam vidimus, refert Heraclonam coactum esse cum Valentino pactionem facere, ne suburbii agri etiam magis vastarentur diriperenturque. Itaque, quia coronatione Constantis periculum ab exercitu Chalcedonensi imminens non remotum est, id quod cives seditiosi voluerant, et sic causa consecutione necessaria caret, ego quidem non existimo illo tempore, priusquam utraque pars communicaverit, Constantem coronatum esse. Ioannis igitur ordinem rerum temporumque sequor. Coniciendum esse mihi videtur Heraclonam amicosque, cum a populo seditioso urgerentur et vexarentur, nullum aliud periculi remedium vidisse praeter pactionem cum Valentino ineundam. Ioanne auctore[4]) Heraclonas magno cum numero clericorum Bosporum navibus regiis transvectus Chalcedonem pervenit et cum copiis pactionem fecit, quam utraque pars iure iurando affirmavit.[5]) Postulavit a militibus, ut testamento Heraclii se subicientes ipsum (Heraclonam) imperatorem agnoscerent. Sed contra copiae impetraverunt, ut eis gravissima talia concederentur: Heraclonas promisit se Constantem, fratris filium, socium imperii agni-

1) Hoc loco pergens Nicephorus de Pyrri expulsione agit, de qua infra disseremus.

2) Ioannes Nic. l. c. p. 579.

3) Sebeos l. c. p. 103 sq.

4) Ioannes Nic. l. c. p. 579.

5) Niceph. p. 31, 19 sqq.

turum esse neque ullas inimicitias inter se et copias, quae rebellavissent, fore. Etiam Philagrium ex exilio revocatum iri.[1]) Ad hoc Nicephorus p. 31, 20 sqq. talia refert: Valentinus dignitate comitis excubitorum auctus fidem ab Heraclona accepit nullam rationem ab eo propter pecunias, quas Philagrius ei Constantino iubente dedisset, postulatum iri. Ut vero mensura contumeliarum Heraclonae Martinaeque expleretur, statutum est, ut cuique militi, qui Valentinum secutus contra imperatorem rebellavisset, munus pecuniae tribueretur.[2])

Pactione facta Constans imperator coronatus est. Etiamsi Ioannes[3]) refert: „Valentinus cum Domentiano aliisque patriciis iit et Constantinum parvum coronaverunt“, tamen etiam Heraclonam coronationi interfuisse crediderim. Forsitan huc illa verba Nicephori[4]) referenda sint, quibus multitudo Heraclonam pressisse narratur, ut Constantem coronaret. Novus imperator Constantinus nominatus est. Nicephorus haec prodit: *εὐθὺς οὖν τὸν στεφθέντα Κωνσταντῖνον οἱ ὄχλοι μετονομάζουσιν.* Mea quidem sententia partes Valentini effecerunt, ut in honorem Constantini Constanti nomen patris inderetur, cuius voluntatem se explevisse putaverunt. Sebeos[5]) narrat Valentinum ipsum Constantem a nomine patris appellavisse. Nomine Constantino imperator novus publice usus est (cf. epistulam Martini papae ad imperatorem datam, Mansi X p. 789, et acta concilii Lateranensis anni 649, Mansi X p. 863 sqq. et nummos, Sabatier I 294). A populo autem Constans appellatus esse videtur, quod nomen omnes fere scriptores produnt. Una cum Constante David, frater Heraclonae imperator nuncupatus est, cui aliud nomen Tiberius impositum est.[6]) Sabatier I 292 mentionem facit nummi, in quo imagines trium imperatorum Heraclonae, Constantini III, Tiberii exstant.

Ut vidimus, Martina sociique pacem non nisi post turpissimas concessiones impetraverunt, unde apparet eos, cum intra muros urbis multitudo excitata, extra exercitus Valentini seditiosus immineret, summum in discrimen esse vocatos, et tantum modo periculo extremo coactos omnia concessisse. Ioanne teste tunc quidem omnes cum pace discesserunt. Tempus, quo res quas modo narravi gestae sint, september mensis anni 641 putari potest.[7])

1) Ioannes Nic. p. 579. 2) Niceph. p. 31, 23. 3) Ioannes Nic. p. 579.
4) Niceph. p. 30, 22 *οἱ δὲ ὄχλοι τὸν βασιλέα ἐβιάζοντο τὸ ἔργον ἐπιτελεῖν. ὁ δὲ λαβὼν ἐκ τῆς ἐκκλησίας τὸν τοῦ πατρὸς Ἡρακλείου στέφανον τὸ ἔργον ἐπλήρου.* 5) Sebeos l. c. p. 104.
6) Niceph. p. 31, 24. 7) Cf. Butler l. c. p. 305.

Sed pacto, quod exercitus Valentini et Heraclonas fecerant, nulla alia vis inerat nisi indutiarum. Semina enim novi belli domestici [1]) in pactione ipsa posita erant. Nam existimo neminem, qui superbiam et honoris cupiditatem Martinae noverit, nescivisse hanc mulierem in illis condicionibus tristibus non esse mansuram. Ex altera parte haud scio an omnes, qui partes Constantini mortui secuti erant, exitu rebellionis contenti fuerint et Martinam Heraclonamque non omnino de imperio deiectos esse probaverint.

In Cappadocia primum tumultus recruduisse videntur. Copias illius regionis epistulam produxisse Ioannes [2]) testis est, quae a Martina scripta et a Pyrro patriarcha ad David illustrem logothetam data esse dicitur, qua hic commotus magno bello eos, qui nuper seditionem conflavissent, persequeretur et Martinam in matrimonium duceret et Constantinum modo coronatum e medio tolleret. Copiae cum viderent Martinam pacti condiciones non servaturam esse atque ipsis periculum imminere, statim rebellaverunt licentiaque uti coeperunt. Harum rerum cum nuntius Constantinopolim veniret, cives et copiae capitis contra Martinam eiusque liberos seditionem moverunt. Rebellantibus Theodorus quidam, quem Ioannes ducem gloriosum dicit, praeerat. Qui cum David logothetam aggrederetur, is fuga salutem petens in castellum quoddam (Armeniae?) se contulit. Theodorus, qui erat secutus, adversarium cepit et caput eius praecidit, quod publice in orientalibus partibus imperii ostendebatur. Magno exercitu collecto Theodorus Constantinopolim revertit. Postquam ei contigit palatio potiri, Martina eiusque filii Heraclonas, David (Tiberius), Marinus dignitate imperatoria privati et Rhodum deportati sunt. His Ioanne teste [3]) nares decisae sunt. Theophanes [4]) et Sebeos [5]) Martinae linguam exsectam esse consentiunt. Ne filius Martinae natu minimus, si e pueris excessisset, quando imperium appetere posset, castratus est; gravi autem vulnere affectus brevi post obiit. [6]) Theodosio, alii filio Martinae, quem propter surditatem innocuum esse putaverunt, pepercerunt. [7]) Postquam testamentum Heraclii irritum declaraverunt, Constantinus denuo imperator nuncupatus est. [8]) Senatus consulto

1) De hac altera parte belli civilis solus Ioannes Niciu accuratius agit. Sebeos cap. 32 l. c. p. 103 sq. duo momenta belli perperam confudit

2) Ioannes Nic. 579 sq. 3) Ioannes Nic. p. 580.

4) Theoph. p. 341, 25.

5) Sebeos p. 103. Hic scriptor perperam Martinam cum duobus filiis interfectam esse refert.

6) Ioannes Nic. p. 580 sq.

7) Ioannes Nic. p. 581. Niceph. p. 14, 18 sqq. 8) Ibid.

exactio Heraclonae Martinaeque probata est, ut ex Theophanis verbis elucet hisce: (p. 341, 24) „*Τούτῳ τῷ ἔτει ἀπώσατο ἡ σύγκλητος Ἡρακλωνᾶν ἅμα Μαρτίνῃ τῇ μητρὶ αὐτοῦ*“ et ex verbis quibus Constantinus imperator iuvenis coram senatu usus esse dicitur.[1]) Hac oratione, ut facinus fundamento iuris niti videretur, palam pronuntiatum est illos propterea iure expulsos esse, quod patrem Constantinum necavissent.[2]) Ut in gratiam senatorum veniret, Constantinus eis dona dedit.

Paucis nunc absolvere liceat verbis quae interim in Aegypto gesta sint, ut ex indiciis quae ad tempus harum rerum in illa provincia gestarum spectant profecti obiter computemus, quo tempore Martina filiique imperio deiecti sint.

Die 14 Septembris mensis anni 641 Cyrus patriarcha una cum Theodoro, praefecto Alexandriae, qui Rhodi legatos Valentini patricii convenerat, Alexandriam rediit.[3]) Ut pacem cum Arabibus faceret, sicut ei ab Heraclona mandatum erat, Babylonem se contulit, ubi cum Ambro, duce hostium, communicavit. Atque pactio facta est, qua tota provincia cum Alexandria capite Arabibus traderetur.[4]) Inter singulas condiciones, quae a Ioanne referuntur, commemorentur hae: constitutum est, ut tributum Arabibus solveretur; indutiae fierent mensium undecim, quo spatio neque Arabes quidquam contra Alexandriam susciperent, neque Graeci contra illos arma ferrent. Omnes copiae Graecae navibus ex Alexandria exirent, neque exercitus Graecus unquam reverteretur. Octavo die Novembris mensis pax inter Cyrum et Ambrum confecta est.[5]) Postquam patriarcha Alexandriam rediit, Theodoro praefecto et Constantino, qui exercitui Graeco praeerat, mandavit, ut Heraclonam imperatorem de pactione certiorem facerent commoverentque, ut pactum sanciret.[6])

1) Theoph. p. 342, 9 sqq.

2) De exitu Martinae et Heraclonae Cedrenus p. 754, 4 talia refert: *ὁ δὲ Ἡρακλωνᾶς οὐκ ἐτάφη βασιλικῶς ἀλλὰ διωχθεὶς ἐκ τῆς βασιλείας καὶ ἰδιωτεύων ἐτάφη ἐν τῷ μοναστηρίῳ σὺν τῇ μητρὶ Μαρτίνῃ.* Sebeos narrans eos a Valentino interfectos esse errat.

3) Rem ita se habuisse Butler (l. c. p. 536 sqq.), reiciens sententiam Brooksii qui (Byz. Zschrft. 1895, 444 sqq.) censet Cyrum post mortem Heraclii et ante festos dies paschales anni 641 Alexandriam revertisse, plane ostendisse mihi videtur.

4) Ioann. Nic. p. 575; Butler l. c. p. 320.

5) Quod ad tempus pacis confectae attinet, iterum sequor Butlerum (l. c. p. 540), quem argumentis bonis sententiam Brooksii (l. c. p. 442) refellisse censeo.

6) Ioannes Nic. p. 576.

Itaque ad hoc quidem tempus Martinam Heraclonamque imperium obtinuisse coniciendum est aut saltem nuntius eorum eiectionis nondum Alexandriam venerat. Illos autem reliquo tempore Novembris mensis expulsos esse hoc modo colligi potest. Theophanes Heraclonam sex menses imperavisse prodit.[1] Quod tempus si ab excessu Constantini II computamus, in Novembrem mensem incidimus, cuius dimidio altero, ni fallor, Heraclonas et Martina eiecti sunt.

Et nunc in eo est, ut de Pyrri patriarchae expulsione quaeramus. Ioannes de Pyrro eiecto verba facit, postquam descripsit, quae Martina et eius filii passi essent. Theophanes[2]) verbis: „*ἡ δὲ σύγκλητος καὶ ἡ πόλις Πύῤῥον ὡς ἀσεβῆ σὺν τῇ Μαρτίνῃ καὶ τῷ υἱῷ αὐτῆς ἐξέωσαν*“ prodit patriarcham eodem tempore cum Martina Heraclonaque esse depulsum.

Cum his Ioannis et Theophanis indiciis, quae ad tempus spectantia conspirant, Nicephorus[3]) discrepat, qui vult Pyrrum Constantinopoli cessisse tempore, quo Valentinus cum exercitu Chalcedonem occupavisset. Pyrrum autem, cum altera seditio contra imperantes exorta esset, etiam tunc sedem patriarchalem obtinuisse existimo, quia Ioannes refert illam epistulam a Pyrro patriarcha datam esse, qua scriptum esset poenas ab eis, qui cum Valentino fecissent, repetitum iri. Itaque Nicephorus errare mihi videtur, cum Pyrrum tempore primi motus a Valentino conflati urbem deseruisse prodit.

Etsi inter descriptiones temporis, quo Pyrrus expulsus sit, eam quam exhibent Ioannes et Theophanes praefero, tamen mihi concedendum est horum verbis verum non prorsus prodi. Etenim fieri non potuit, ut Pyrrus uno eodemque tempore, quo Heraclonas eiusque cognati expulsi sunt (i. e. post 8 diem Novembris mensis), eiceretur, quia Paulus, qui illi patriarcha Constantinopolitanus successit, iam Octobri mense institutus est.[4]) Haud scio an haec difficultas tali ratione tolli possit: ex eo quod Ioannes refert Theodorum altera seditione contra imperium Heraclonae orta Davidem logothetam persecutum esse eiusque caput decisum in orientalibus regionibus monstravisse[5]), conici potest aliquantum spatii consumptum esse, donec exercitu magno collecto Constantinopolim reverteretur et Martinam eiusque propinquos imperio deiceret. Quod si Novembri mense accidit, fieri potuit, ut iam aliquo tempore ante

1) Theoph. p. 341, 18. 2) Theoph. p. 331, 3.
3) Niceph. p. 30, 26.
4) Theoph. p. 342, 1 sqq. Niceph. p. 31, 25 sqq.
5) Ioannes Nic. p. 580.

tumultus oreretur atque initio seditionis populus excitatus Pyrrum cogeret ex urbe fugere. Atque puto verba Ioannis et Theophanis in eam sententiam accipi posse, ut non tam uno tempore quam una eademque seditione et Martina Heraclonasque et Pyrrus, eorum socius, omni potentia privarentur.

Hic patriarcha, quippe qui consiliorum socius et fidelissimus adiutor Martinae fuisset et una cum imperatrice in suspicionem adductus particeps videretur mortis Constantini fuisse, iram atque odium populi susceperat. Eum multitudini turbidae et seditiosae cedentem urbem deseruisse neque ritu canonico a synodo episcoporum depositum esse elucet plane ex epistula Theodori papae ad Paulum patriarcham data[1]) et verbis Nicephori, qui accuratissime de Pyrri abdicatione episcopatus agit.[2]) Ioannes errare mihi videtur, cum eum Tripolim transportatum esse prodit; immo coniciendum est patriarcham ultro in Africam venisse. In Nicephori contextu[3]) exhibentur verba „*πρὸς τὴν Χαλκηδόνος ἀπέπλει*“: in quibus probaverim coniecturam de Boorii „*Καρχηδόνος*“. Carthagini enim Pyrrus coram Gregorio patricio, qui Africae provinciae praeerat, Iulio mense anni 645 cum S. Maximo de voluntatibus Christi disputavit.[4])

De Valentini usurpatione imperii.

Constantinus dignitatem quidem imperatoris tulit; sed eum, qui modo puer undecim annorum fuerit, in re publica multum valuisse haud credibile est. Immo potius coniecerim summam imperii penes senatum et duces exercitus fuisse, cuius solius gratia Constantinus imperator factus esset. Quantopere Constantinus etiam sequentibus annis ab arbitrio copiarum dependerit, Sebeos testis est. Atque imprimis Valentinus potentiam adeptus esse videtur. Quamquam Ioannes Niciu, cum de Martinae liberorumque eiectione agit, illius patricii nullo verbo mentionem facit, tamen putare nequeo Valentinum illius facinoris expertem fuisse, quia aliter difficile est intellectu patricium tantam potestatem sibi parere potuisse, ut brevi tempore post quam illi expulsi sunt imperium appeteret.[5])

1) Cf. Mansi Acta X p. 704. Theodorus papa reprehendit, quod Pyrrus non decreto synodi depositus sit: „nam turbatio et odium populi“, ut censet papa „episcopatus gradum nescit auferre“.

2) Niceph. p. 31, 7 „*τῆς ἱερωσύνης μὴ ἀφιστάμενος ἀποτάσσομαι λαῷ ἀπειθεῖ*“. 3) Niceph p. 31, 10.

4) Acta huius disputationis ad nos venerunt. Cf. Mansi X p. 710 sqq.

5) Theophanes sub A. M. 6136 talia refert: *Τούτῳ τῷ ἔτει ἐστασίασε Βαλεντινιανὸς ὁ πατρίκιος κατὰ Κώνσταντος κτλ.* Ex Ioanne autem et

Valentinum rebellantem exercitu esse nixum Sebeos prodit verbis his[1]): „conciliavit sibi tria milia hoplitarum, quos secum duxit, multosque alios milites, et his nixus est". Teste Ioanne[2]) purpuram sumpsit. De exitu usurpationis fontes magnopere discrepant. Sebeos narrat haec: Valentinus civibus Byzantiis iugum servitutis grave iniunxit, ut rebellarent. Convenerunt cum Paulo patriarcha in Sanctam Sophiam et petiverunt a Valentino, ut eos servitute eximeret. Valentinus autem non modo precibus illorum non obsecutus est, immo potius Antonium legatum cum mille militibus misit, ut contionem civium dissolveret. Qui postquam in aedem venit, in nobilissimos plagas infligere coepit. Cum autem etiam patriarchae alapas duxisset, quippe qui eius facinus scelestum reprehendisset, populus iram erumpens Antonium prehendit et media in urbe combussit. Quo facto etiam Valentinum captum igni necaverunt.[3]) Ioannes cum Sebeo faciens prodit Constantinopolitanos contra tyrannum rebellasse. Ut Sebeos, ita etiam Theophanes narrat Valentinum tunc quidem interfectum esse. Quos contra Ioannes de exitu rebellionis patricii talia refert: „Valentinus captus ad Constantem imperatorem adductus est, coram quo iure iurando affirmavit se nihil mali moliri et talia facta esse propterea, quod cum Arabibus pugnare vellet. Quo facto liberatus et exercitui praefectus est. Atque Constans cum Valentino pactionem iniit, qua constitutum est, ut patricius imperatori filiam in matrimonium daret. Quae post nuptias Augusta nuncupata est." Cui Ioannis narrationi num fides debeatur, diiudicare non audeo, cum gravia testimonia Sebei et Theophanis, quorum uterque Valentinum interfectum esse prodit, obstent. Sin autem Ioannis verbis verum traditur, qui narrat pactionem a Constantino cum Valentino esse factam et imperatorem filiam usurpatoris in matrimonium duxisse, putari non potest patricium omnino libero imperatoris arbitrio permissum et quasi rebellantem aestimatum et tractatum esse. Haud scio an Valentinus, cum populus contra eius dominationem insurgeret, locum tyranni non iam retinere potuerit, ex altera autem parte etiam tunc tanta potentia fuerit, ut imperator vel ei, qui eius causam egerunt, praeferrent aequis condicionibus cum illo pacisci et ei complura concedere, e. g. summam imperii exercitus.

Sebeo, qui contemporanei accuratius de hac usurpatione egerunt, apparet hunc patricium, quem Theophanes Valentinianum nominat, esse eundem Valentinum, qui nuper contra Martinam et Heraclonam tumultus moverat.

1) Sebeos p. 105. 2) Ioannes p. 582. 3) Sebeos p. 105.

De tempore, quo Valentinus imperium occupare studuerit, fontes divergunt. Theophanes recte sub uno eodemque anno mundi prodit Valentinum rebellavisse et Petrum, qui Cyro successerit, patriarcham Alexandrinum esse institutum. Sed perperam utramque rem A. M. 6136 = 644/5 assignat. Ex Ioanne annum 642 statuendum esse apparet. Nam quia legimus Cyrum et alias res et triumphum et potentiam Valentini doluisse, colligi potest eius usurpationem imperii ante mortem Cyri, qui die 25 magâbit mensis coptici = 21 die anni D. 642 obiit, factam esse.[1]) Sebeos indicit annum rebellionis alterum imperii Constantis, quem respondere anno D. 642 Butler[2]) existimat; num recte usurpationem Valentini Ianuario mensi tribuat, nescio. Certe hic patricii tumultus spatio, quod inter Novembrem mensem anni 641 et Martium exeuntem anni 642 positum est, conflatus est.

Haud absonum videtur conicere post Martinae Heraclonaeque eiectionem etiam amicos sociosque eorum ab eis, qui Constantini partibus faverent, dure tractatos vexatosque esse; neque delationes defuisse videntur. Ioannes quidem narrat[3]) Arcadium episcopum Cyprium a Valentino esse accusatum, quod amicus Martinae et infesto animo in Constantinum, novum imperatorum, esset. Constantinus, qui verbis Valentini fidem habuit, milites misit, ut episcopum adducerent. Priusquam autem prehendi potuit, e vita discesserat. Etiam Cyrus patriarcha timuit, ne ipse, sicut ille, accusaretur et caperetur. His autem curis mors eum liberavit.[4]) Eius loco Petrus diaconus 14 die Iulii mensis patriarcha Alexandrinus institutus est.[5])

Postquam Constantinus imperium obtinuit, Graeci neglegentes pactionem quam Cyrus et Ambrus fecerant conati esse videntur Aegyptum sub suam potestatem redigere. Etenim Ioannes refert „Valentinum Aegyptiis auxilium ferre non potuisse“. Ex his verbis colligo Graecos studuisse provinciam recuperare. Haud scio an huc ille locus Dionysii Telmaharensis qui dicitur spectet, ubi Valentinum anno Sel. 955 = A. D. 643/4 ab Agarenis victum esse narratur. Num verum prodatur, non audeo diiudicare, cum haec narratio graviori testimonio non probetur. Si re vera Graeci tum provinciam hostibus eripere conati sunt, nil effecerunt: Aegyptus perierat. Postquam Graeci exercitus ex interioribus regionibus ad litus recesserunt, die 17 Septembris anni 642 Theodorus cum omnibus

1) Ioannes Nic. p. 582 et 578. 2) l. c. p. 359 adn. 1.
3) Ioannes Nic. p. 582.
4) Ioannes Nic. p. 582.
5) Ibid. p. 583; Butler l. c. p. 364.

Graecis copiis ex Alexandria profectus est et in Cyprum se contulit.[1]) Brevi post Ambrus nullo resistente urbem intravit.[2])

Saracenorum dux, cum iam tota provincia potitus esset, hieme 642/3[3]) ad occidentem versus cum exercitu profectus est, ut oppida, quae ad Syrtes sita Graeci adhuc potestate tenuerunt, expugnaret.[4]) Barca urbs Pentapolitana nullo resistente hostibus se dedidit, et incolae necessitate coacti promiserunt se victoribus quotannis 13000 denarios soluturos esse. Sed ut hoc tributum cogeretur, constitutum est liberos eorum sub corona venire. Teste Yakut maxima pars incolarum ad Agarenorum fidem se convertit. Inde Ambrus copias suas contra Tripolim duxit. Sed quia haec urbs satis firma Graeco praesidio tenebatur, Arabes eam vi et armis in dicionem cogere debuerunt. Postquam oppidum circumdederunt, — alii unum, alii tres menses obsidionis tradunt — contigit eis aditum urbis invenire et praeter opinionem civium tanta celeritate introire, ut Graeci vix naves ascendere et in altum provecti servari possent. Urbem expugnatam hostes diripuerunt. Brevi post et Sabratam ceperunt, quod oppidum primo impetu oppressum est. Hoc quidem tempore Arabes non longius processerunt, sed Ambrus iussu Omar chalifae exercitum in Aegyptum reduxit.

De Manuelis Aegyptia expeditione.[5])

Aliquanto post Graeci Aegypto iterum potituri esse videbantur. Othman chalifa postquam Omaro, qui ineunte Novembri mense anni 644 interfectus erat[6]), successit, Ambrum loco praefecti Aegypti movit et totam provinciam 'Abdallae filio Sad, quippe quem Omar antea Aegypto superiori praefecisset, administrandam tribuit. Magnopere Aegyptii tributis, quae Agarenis solvenda erant, vexati sunt. Omar enim Ambrum praefectum valde pressit, ut quam plurima tributa ab incolis sumeret et ei mitteret. Scriptor contemporaneus vehementer questus est de gravitate tributorum, qua praeter reliquos Aegyptios imprimis Alexandrini premerentur.[7]) Et cum Othman 'Abdallam Aegypto praeficeret, speravit illum curaturum esse, ut etiam maiores pecuniae redirent. Itaque non est mirum, quod incolae flagitaverunt, ut hoc duro imperio liberarentur, et permultis Graecis,

1) Ioannes Nic. p. 583. 2) Ibid. 3) Cf. Butler p. 428 adn. 1.
4) De hac expeditione conferas Weil, Geschichte des Chalifen I p. 123 sq.; Butler p. 427 sqq., qui accuratissime rem tractavit.
5) Cf. Weil l. c. p. 157 sqq.; Butler p. 465 sqq.
6) Cf. Weil l. c. p. 130 adn. 3. 7) Ioannes Nic. p. 585.

qui provincia ab hostibus capta Alexandriae remanserant, in optatis erat, ut terra Graeco imperio iterum adiungeretur. Constantinopolitani non ignorasse videntur, quomodo res in Aegypto se haberent. Occasio Alexandriae recuperandae propterea quoque opportuna esse videbatur, quod urbs exiguo tantum praesidio Arabum tenebatur. Itaque Constantinus conari constituit illam provinciam ditissimam, quam ereptam esse Graecis magnopere dolendum erat, sub suam potestatem redigere. Expeditione clam praeparata trecentae naves Manuele duce ex portu Constantinopolitano profectae salvae, cum illo tempore Saraceni in mari nondum multum valerent, Alexandriam venerunt. Graeci parvam manum Arabum, quod praesidium in urbe positum erat, facile expulerunt et tali modo caput provinciae iterum sub imperium dicionemque suum redegerunt. Etiam complures aliae urbes, quae in Delta sitae erant iugo Arabum deiecto cum Graecis fecerunt. Ut Arabici auctores produnt, Graeci ineunte anno Hegrae 25 (28 Oct. 645—17 Oct. 646) Alexandriam occupaverunt.

Othman chalifa cum de his rebus certior factus esset, Ambrum, quippe qui optime res Aegyptias novisset, exercitui Arabico, qui in hac provincia fuit, praefecit, ut terram a Graecis occupatam sub suam potestatem redigeret. Quae res eo melius cessit, quod Ambrus etiam tunc Aegyptios indigenas sicut antea, cum primum in Aegyptum penetravisset, hostes inimicosque Graecorum invenit. Graeci enim non modo Aegyptios sibi non conciliaverunt neque secum contra communem hostem coniunxerunt, sed etiam ex Alexandria excurrentes illos hostes tractaverunt eorumque vicos diripuerunt et vastaverunt. Nimirum haec consilia stultissima temerariaque rebus Graecis aeque atque antea nocere et eis occasionem totius provinciae recipiendae demere necesse erat. Sed etiamsi Aegyptii Graecorum adversarii putandi erant, tamen cum Agarenis, qui Ambro duce accesserunt, prorsus fecisse non videntur. Immo potius eos ab Arabibus in numero hostium habitos esse apparet, si fides tribui potest verbis, quibus Ambrus, cum ad bellum proficiscens a chalifa moneretur statim Graecos aggredi, priusquam auxiliis aucti essent, usus esse dicitur: „Opperiar, dum me aggrediantur. Nam incolas vexabunt et deus alteram partem hostium nostrorum per alteram perdet.“ Ante muros urbis Niciu et prope ad fossam[1]) exercitus Graecus et Arabicus concurrerunt. Aliquamdiu aequo Marte dimicatum est. Ut traditur, commune proelium

1) Cf. Butler p. 472 adn. 1.

certamine singulari Arabis et Graeci interruptum est. Graeco autem occiso proelium redintegraverunt. Denique Saraceni Graecos vicerunt et Alexandriam reppulerunt. Scriptores quidam Arabici quos Weil[1]) secutus est narrant Graecis fugientibus non satis temporis fuisse ad portas Alexandriae claudendas, ut simul cum Graecis hostes in urbem penetrarent. Butler contra[2]), qui aliis testimoniis nixus esse videtur, portas in tempore clausas esse Graecosque obsidionem praeparavisse putat. Sive Arabes, ut in altera narratione est, castris in orientali parte positis et tormentis exstructis muros perfregerunt, sive, ut altera proditur, portae a proditore aliquo patefactae sunt, certe hostes vi in urbem intraverunt et crudeliter rebellionem ulti omnes, qui eis irrumpentibus obstabant, occiderunt et aedificia incensa diripuerunt. Pars urbis ad orientem vergens igni deleta est. Plerique Graeci, quorum in numero etiam Manuel, dux expeditionis, fuit, interfecti sunt; pauci tantummodo, qui naves assecuti in altum maris provecti sunt, vitam servaverunt. Victores liberos mulieresque in captivitatem abduxerunt. Oppida quae cum Graecis conspiraverant funditus eversa sunt. Incolis autem eis, qui fidem erga Arabes praestantes a Graecis bonis suis privati erant, Ambrus ea quae amiserant restituit.

Itaque intentiones Graecorum ad irritum ceciderunt et Aegyptum, quam provinciam se recuperare posse speraverant, hostibus relinquere coacti sunt (aestate anni 646).

De Gregorii, praefecti Africae provinciae, seditione.

Ex permagnis calamitatibus, quibus Graeci in Aegypto ab Arabibus affecti sunt, praeter alia etiam hoc effectum esse puto, ut praesides nonnullarum provinciarum, quae antea imperio Graeco adiunctae erant, seditionibus provincias suas a dominatione Graeci imperatoris solvere et sua potestate et dicione tenere conarentur. Etenim spatio sex annorum (a. 647—a. 652) haud minus quam tres provincias contra Constantinum rebellavisse invenimus. Atque in Africa provincia Gregorius patricius, in Italia Olympius exarchus, in Armenia Theodorus princeps seditiones moverunt, qui ni fallor existimaverunt Graecos, postquam ab Agarenis tantopere attriti essent, invalidiores esse, quam ut a se rebellantibus poenas repetere possent. Deinde sine dubio incolae illarum provinciarum eo magis enixi sunt, ut iugo Graeci imperii liberarentur, quia magnopere cum Graecis de fide dissidebant. De seditione Olympii et

1) L. c. p. 159. 2) L. c. p. 474.

Theodori Armenii accuratius infra disseram: nunc primum de Gregorii rebellione mihi agendum erit.

Cum Graeci fidei monotheleticae addicti essent, Africa provincia propugnaculum ditheletici dogmatis dici potuit, et Gregorius patricius, qui Carthagini sedem habebat, clericis huius fidei favit.[1]) Seditio Africanorum Constantinopolitanis haud ita inopinato facta esse videtur; etenim iam aliquanto ante Constantinopoli suspicio fuit Africanos ab imperio Constantini defecturos esse, ut ex scriptis synodorum Africanarum, quae anno 646[2]) congregatae erant, et ex epistula Victoris archiepiscopi Carthaginiensis ad Theodorum papam (die 16 Julii a. 646) data elucet.[3]) Africani quidem hanc suspicionem falsam esse contenderunt[4]), attamen iam anno sequenti (647) Gregorius contra imperatorem rebellavit et ipse purpuram sumpsit.[5]) Ibn Abd-El-Hakam narrat Gregorium nummos, qui eius effigiem praebuissent, excudisse.[6]) Sed patricius non nisi breve tempus libera sua potestate uti potuit, quia iam sequenti anno eius imperium a Saracenis eversum est.[7])

Postquam Ambrus Aegyptum recuperavit, Othman chalifa 'Abdallam filium Sad, praefectum huius provinciae, restituit et ei petenti concessit, ut in Africam, provinciam Graecam, incursionem faceret. Chalifa ipse copias paravit, quas Octobri mense anni 647[8]) in Aegyptum misit, ubi cum copiis Aegyptiis coniungebantur. Primum 'Abdalla Tripolim aggressus esse dicitur. Cui rei si fides debetur, colligi potest Graecos urbem, quam Ambrus cepisset, sub suam potestatem redegisse. 'Abdalla autem, ut narratur, oppidum, quod praesidio Graeco defendebatur, opprimere non potuit. Gre-

1) De rebus ecclesiasticis illius aetatis vide infra.

2) Cf. Mansi X p. 918; Theophylactus primicerius coram concilio Lateranensi dicit illas synodos Africanorum episcoporum quarta indictione (i. e. A. D. 646) esse convocatas.

3) Haec scripta inter acta concilii Lateranensis (anni 649) ad nos venerunt. Cf. Mansi X p. 922. 950.

4) Ibid. 5) Theoph. p. 343, 15; sub A. M. 6138 = A. D. 646/7.

6) Slanei versio francogallica, quae addita est „Historiae Berberorum" ab Ibn Khaldun compositae I p. 204.

7) Cf. Theoph. p. 343, 24 sqq. Eius anno mundi 6139 convenit A. H. 27 (7. Oct. 647—25. Sept. 648) quem Arabici auctores tradunt; cf. Weil l. c. I 161; Wellhausen, „Die Kämpfe d. Araber mit d. Romäern in d. Z. d. Umaijiden", Nachrichten. d. K. Gesellsch. d. Wissensch. zu Göttingen; philol. hist. Klasse 1901 p. 426; Ranke, Weltgesch. V, 1 p. 180 adn. 2.

8) En-Noweiri, cuius operis versionem francogallicam in Slanei libro laudato invenies p. 316.

gorius cum Arabes accedere audivisset, 120000 milites contraxisse fertur[1]), qui numerus mea quidem sententia ab Arabicis scriptoribus falso auctus est. Priusquam armis est decertatum, Agarenos cum Africanis communicavisse proditur. Locus, ubi proelium commissum est, Aquba dicitur.[2]) Patricius ipse interfectus est. Copiae eius devictae fuga salutem petiverunt. Nobiles autem provinciae duci Arabum pecuniam obtulerunt ea condicione, ut cum exercitu suo ex Africa provincia recederet. Condicione Africanorum accepta ʿAbdalla cum suis in Aegyptum rediit.[3])

De primis Arabum expeditionibus navalibus.

Age vero, nunc ad orientales partes imperii Graeci nos convertamus. Ex eo tempore, quo Saraceni Syriam et Palaestinam Graecis eripuerant, nullas alias regiones, quas imperator sua dicione tenuit, occupaverant. Immo potius acquieverunt in invasionibus, quas ex Syria proficiscentes in Graecorum fines Asiae minoris fecerunt. Praefectus Syriae tunc quidem Mavia fuit, qui Damasci sedem habuit. Hoc viro Constantinus III imperator quamdiu vixit hoste capitali et omnium Arabum acerrimo usus est, qui ubicumque potuit omnia molitus est, ut Graecis detrimentum afferret. Eius praecipue auctoritate factum est, ut quotannis Arabes in „Romaniam“ irrumperent. Vere profecti Graecorum oppidis agrisque devastatis autumno domum redire solebant.[4]) Mavia ipse haud raro his expeditionibus praeerat. Baladhuri teste[5]) Mavia A. H. 25 (28. Oct. 645—16. Oct. 646) usque ad Amorium oppidum processit. Castella, quae Graeci, ut terram ab incursionibus hostium melius tueri possent, aedificaverant[6]), deserta invenit et suis militibus implevit. Sine dubio Arabes ea non nisi obiter occupaverunt. Eodem anno Mavia exercitum Habibo duce in Armeniam quartam misit, qua invasione Samosata et Edessa urbes captae sunt.[7])

1) En-Noweiri l. c. p. 317.

2) Cf. Wellhausen l. c. p. 426. En-Noweiri p. 317 adn. 2.

3) En-Noweiri l. c. p. 322; Elias Nisib. sub A. H. 27 (F. Baethgen Fragm. syr. u. arab. Hist. Abh. f. d. Kunde d. Morgenl. hggb. v. D. M. G. VIII 3 p. 112); Wellhausen p. 426.

4) Wellhausen l. c. p. 414 sq.

5) Brooks, The Arabs in Asia minor, from Arabic sources, in the Journal of Hellenic Studies 18 (1898) p. 204.

6) Baladhuri prodit Graecos temporibus Omar et Othman chalifarum inter Alexandriam, quae urbs apud Issum sita esset, et Tarsum castella posuisse; cf. Brooks l. c. p. 203.

7) Baladh. l. c. p. 204; Elias Nisib. sub A. H. 25.

Urbes maritimae praecipue quae ad litus Phoeniciae sitae erant Maviae multum negotii exhibuerunt. Etenim Agarenis satis erat difficile, in possessione perpetua illorum oppidorum, si quando ceperant, manere, quia Graeci a mari aditum habentes urbes facile recuperare neque Arabes, cum classe adhuc carerent, impetus navium Graecarum reicere poterant.

Mavia primus intellexit, quantopere Arabibus classis opus esset, ut Graecis ubique pares essent. Postquam Alexandria potiti sunt, portum et naves habebant, quae ut militibus implerentur Mavia a chalifis petivit. Omar[1]) quidem mare timens praefracte quod ille postulavit recusavit, Othman demum praefecto Syriae obsecutus est.[2])

Primam expeditionem navalem Mavia anno 649 in Cyprum suscepit.[3]) Hac insula ampla imperium maritimum Graecorum, postquam Aegyptum amiserunt, in orientalibus partibus maris mediterranei nixum est. Ut ex Ioanne Niciu vidimus, reliquiae exercitus Aegypti Theodoro duce Cyprum traductae erant. Nimirum Mavia cum classe sua primum hanc insulam, quae ei propter viciniam periculosam imprimis timenda erat, aggredi debuit.

Teste Tabari[4]) 'Abdalla ex Alexandria naves Ptolemain (Akkon) duxit, ubi militibus expletae sunt. Maviam classe mille septingentarum navium Cyprum profectum esse Theophanes (p. 343, 31) prodit. Si Michaeli Syro fidem habere possumus, Mavia, priusquam vi et armis insulam sub suam potestatem redigere coepit, cum incolis egit eisque promisit, se eis nihil mali illaturum esse, si se dederent et tributum solverent. Cyprii autem freti muris firmis propositiones Arabis reiecerunt.[5]) Tunc quidem Mavia totam insulam cum Constantia capite, cuius incolae interfecti esse dicuntur[6]), cepit et vastavit.[7]) Cacorizus cubicularius Cypriis magna cum classe Graeca auxilio venire properavit; sed priusquam advenit, Mavia, qui de eius adventu certior factus est, profectus erat. Exinde cursum in Aradum, quae urbs maritima prope litus Phoeniciae in in-

1) Omar die 3 Novembris mensis anni 644 occisus est; cf. Weil l. c. I p. 130.

2) Cf. Weil l. c. I p. 160 adn. 2; Wellhausen l. c. p. 418.

3) Cf. Wellhausen p. 418. 4) Id. p. 5.

5) Michael Syrus ed. Langlois p. 235. 6) Ibid.

7) Theoph. p. 343, 31 sqq. Elias Nisib. sub A. H. 26 (Baethgen p. 112) aliique tradunt Cyprios promisisse se Agarenis quotannis 7200 denarios soluturos esse, sicut etiam Graecis. Sed haud scio an illa ad posterius tempus spectent. Etenim Theophanes sub A. M. 6178 verba facit de pactione, qua constitum est, ut Graeci Arabesque tributum Cypriorum aequis partibus inter se dividerent.

sula sita erat, tenuit eamque capere conatus est. Sed urbe, quippe quae natura loci satis firma esset, potiri non potuit, quamvis omnia moliretur. Itaque Thomarichum episcopum in oppidum misit, qui civibus timorem iniciens persuaderet, ut se dederent. Hi autem nullo pacto, quod Mavia postulavit, fecerunt; quin potius episcopum, postquam urbem intravit, prehenderunt. Mavia igitur, cum aliter urbem subicere non posset et hiems immineret, facere non potuit, quin obsidione desisteret et copiis dimissis in provinciam suam rediret.[1])

Sequenti autem anno (650) denuo Aradum oppugnavit atque tunc quidem Maviae contigit urbem opprimere, quam igni delevit et solo aequavit. Theophanes sive auctor quem his in rebus tractandis secutus est affirmat usque ad suam aetatem neminem in insula, postquam ab Agarenis devastata esset, sedem collocavisse.[2]) Incolis Aradi Mavia concessit ut domicilia nova constituerent, ubi vellent.

De pace Procopii.[3])

Novis calamitatibus, quibus Graeci ab Arabibus affecti erant, Constantinus III tantopere perterritus fuit, ut praeferret pactionem cum hostibus facere, qua Graecis aliquod tempus otii ab illis fore speravit. Neque tamen imperator ipse in hac re quidquam suscipere ausus est; priusquam enim cum Saracenis egit, a copiis, quid de pace cum hostibus facienda sentirent, comperire studuit. Itaque Constantinus ut exercitus quid sentiret cognosceret, Procopium quendam ad copias misit, qui, postquam consensum militum impetravit, Damascum profectus est, ut cum Mavia de pacis condicionibus ageret. Sebeos Procopium toto cum exercitu Damascum venisse narrat. Hoc autem mihi credibile non videtur; haud scio an de legatione tantummodo praefectorum militarium cogitandum sit. Mavia pacem talibus condicionibus iniit, ut Graeci Arabibus tributum solverent et Gregorium, filium Theodori, qui Heraclii frater fuit, obsidem darent. Praeterea constitutum est, ut fines utriusque imperii terminarentur.

Theophane auctore pax A. M. 6142 = A. D. 650/1 facta est. Sebeos narrat anno duodecimo imperii Constantini (652/3) pacem triennem exiisse[4]), unde, si huic narrationi fides debetur, videmus

1) Theophanes p. 344, 3 sqq. 2) Id. p. 344, 12 sqq.

3) Testibus utimur Theophane p. 344, 21 sqq. et Sebeo cap. 33. l. c. p. 110.

4) Sebeos l. c. p. 132.

pacem A. D. 650/1 i. e. eodem tempore, quod a Theophane traditur, factam esse. Sed Sebeos ipse de tempore pacis non accurate eruditus fuisse videtur; etenim altero loco[1]) undecimus annus, tertio loco annus tertius decimus[2]) imperii Constantini proditur, quo bellum renovatum sit. Ni fallor, de A. D. 650/1 cogitandum est. Theophanes refert constitutum esse, ut pax duos annos servaretur, cum Sebeos de tribus annis verba faciat. Utrum sit verum, plane diiudicari nequit, praesertim cum iam anno sequenti, ut infra videbimus, Graeci et Arabes in Armenia bellum pace mutarent.

Circa illud tempus coniuratio diffusa principum nobiliumque imperii in caput imperatoris facta est. Mirum mihi videtur, quod de hac re, quae sine dubio animos Graecorum valde commovit, nullus scriptor huius nationis quidquam memoriae prodidit; sed in narratione Sebei (cap. 35) et in loco „commemorationis eorum, quae acta sunt . . . in papam Martinum" (Mansi, Concilia X, p. 853 sqq.) inspiciendis acquiescere debemus. Cum Martinus papa Constantinopoli a Troilo praefecto accusaretur[3]), quod cum Olympio, exarcho Italiae, qui contra Constantinum rebellionem conflaverat, conspiravisset, et interrogaretur, cur illius tumultum non impedivisset, verbis usus esse inter alia dicitur his: *„Dic domine Troile, quando sicut scitis etiam vos et nos audivimus, Georgius a magistratibus, qui erat ex monachis ingressus est huc in urbem a castris, et talia verba locutus est fecitque res tales; ubi eras tu et qui sunt tecum, quoniam non restitistis ei, sed econtra concionatus est vobis et quos voluit palatii exulavit et prohibuit?"* Ex his autem verbis papae haud ita multum colligere possumus. Troilus licet ea comprehenderit, nos quidem ex eorum contextu nihil amplius efficere possumus, nisi Georgium quendam, quem Sebeos Magistrum dicit, principem coniurationis fuisse magnamque sibi potentiam ascivisse.

Paulo accuratius ab Armenio episcopo docemur. Sed iterum dolendum est etiam huius contextum non nisi corruptum ad nostram aetatem venisse.[4]) Quae fuerit causa coniurationis, non proditur. Haud scio an nobiles Constantino irati fuerint propter pacem ignominiosam quam nuperrime ab Agarenis acceperat. Coniuratione autem patefacta multi eorum, qui ei intererant, culpam capite luerunt. Sebeos quidem omnes nobiles esse occisos neque ullum con-

1) Id. p. 139. 2) Id. p. 140. 3) De hac re vide infra.

4) Cf. Hübschmann: Zur Geschichte Armeniens und der ersten Kriege der Araber; Aus dem Armenischen des Sebêos (Leipzig 1875 p. 29).

siliarium imperatoris incolumem evasisse narrat. Certe scriptor rem in maius tollit, cum ex „commemoratione“ videamus Troilum praefectum et „*qui cum eo essent*“ vitam servavisse. In numero interfectorum nobilium etiam Georgius Magister, princeps coniurationis fuit.

Quod ad tempus rerum modo commemoratarum attinet, Sebeos de eis verba facit, postquam de pace Procopii egit. Itaque coniuratio post annum 650 conflata esse videtur. Et quia quaestio in Martinum papam, ut infra videbimus, die 19 Decembris mensis anni 653 aut 654 instituta est, coniciendum mihi videtur illam coniurationem gravissimam intervallo, quod inter annum 650 et Decembrem anni 654 intercedat, factam esse.

De seditione Armeniorum.[1])

Ab Arabibus quidem Graeci aliquamdiu pace confecta tuti esse videbantur. Sed brevi post in partibus imperii ad orientem vergentibus periculum imminebat seditione[2]), quam nonnulli principes Armeniorum Theodoro duce contra Constantini imperium moverunt. Tumultus praecipue ad eas regiones, quae prope ad Atropatenen (Aderbigan) i. e. ad fines Saracenorum sitae erant, et pagos gentium Iberum, Albanorum, Siuniorum, aliorum pertinebat. Princeps motus Theodorus fuit. Hoc nomen Sebeos quidem tradit, cum Theophanes eum Pasagnathem appellet. Theodorus a Constantino imperatore Armeniis praefectus et dignitate patricii honoratus erat, postquam Arabes anno 642 Dubios (Dvin) caput et regiones Armeniae orientales diripuerunt.[3]) Constantinus iterum iterumque Theodoro benevolentiam gratiamque exhibuerat et ex altera parte princeps Armenius saepius imperatori fidem et animum gratum praestiterat, cum contra Agarenos in Armeniam incurrentes pugnavisset.

Causa seditionis haud scio an fuerit haec. Illi principes Armenii, quorum pagi in extrema parte imperii Graeci siti fines hostium proxime attigerunt, Arabibus, qui quotannis invasionibus terram vexabant, diutius resistere non potuerunt, praesertim cum a Graecis parum aut minime copiis adiuvarentur; itaque melius esse

1) Accuratissime de hac rebellione a Sebeo Armenio, scriptore contemporaneo, docemur (cap. 35).

2) Sebeos seditionem anno duodecimo imperii Constantini tribuit, qui nobis A. D. 652 intellegendus est. Huic tempori respondet Theophanis A. M. 6143 = 651/2 (p. 344, 26 sqq.).

3) Sebeos l. c. p. 100 sqq. 108.

putaverunt cum Arabibus facere. Accedat forsitan altera causa. Notum est Armenios non sicut Graecos dogma concilii Chalcedonensis, quod illis temporibus Graeci fundamentum fidei dicerent, probavisse, sed hoc exsecratos et propriam doctrinam esse confessos. Heraclius imperator cum olim conaretur monophysitas fundamento doctrinae monotheleticae unire, assecutus est, ut etiam Armenios, qui tunc Ezr catholicum habebant, ad suam fidem perduceret (ca. a. 633). Heraclio autem mortuo Armenii ad propriam doctrinam, confessionem monotheleticam reicientes, redierunt.[1]) Ex his fidei discrepantiis magna discordia inter Armenios et copias Graecas, quae in eorum terra positae erant, exorta est. Graeci apud imperatorem questi sunt, quod ab Armeniis quasi infideles putarentur, cum Armenii dogma concilii Chalcedonensis detestarentur. Qua re Constantinus et patriarcha Constantinopolitanus Armenios monuit, ut cum doctrina concilii Chalcedonensis consentirent. Cum a. 648/9[2]) Nerses catholicus et Theodorus in urbem Dvin concilium episcoporum principumque Armeniorum convocavissent, imperator et patriarcha Constantinopolitanus Davida, quippe qui philosophia instructus esset, miserunt, ut Armenios ad Graecorum fidem adduceret. Hi autem epistula ad Constantinum data suam doctrinam explicantes damnaverunt dogma concilii Chalcedonensis, quod se accepturos esse negaverunt.[3]) Itaque non dubium mihi videtur, quin Armenii Graecis magnopere irascerentur, quod hi conati sunt illos de sua fide detrahere et ad Chalcedonensem convertere. Haud scio an Armenii putaverint se, si imperio Arabum se subiecissent, liberiore exercitatione fidei uti posse.

Milites Graeci, qui in Armenia stativa habebant, imperatorem, ut Sebeos refert, de Armeniorum proditione certiorem fecerunt eos graviter incusantes, quod eorum culpa factum esset, ut copiae Graecae contra Agarenos pugnantes vincerentur; etenim cum in Atropatenen (Aderbigan) incurrentes suas vires in plures partes divisissent, Armenios subito hostes adduxisse, ut Graeci superarentur bonisque omnibus privarentur. Atque flagitaverunt ab imperatore, ut a proditoribus poenas repeteret. Sed Constantinus, antequam Armeniis bellum intulit, bona cum gratia eos sibi reconciliare conatus proposuit, ut Armenii seditiosi Theodosiopolim (Karin), quo

1) Cf. Krüger in Herzogs Realencycl. f. prot. Theol. u. Kirche s. v. Monotheletismus.

2) Cf. Hübschmann l. c. p. 27 adn. 3. p. 34 adn. 1.

3) Cf. Ter-Minassiantz, Die armenische Kirche in ihren Beziehungen zu den syrischen Kirchen. Lips. 1904 p. 62.

ipse se conferre vellet, venirent, aut, si mallent, ipse eorum domicilia adiret, ut communicarent deliberarentque, quid faciendum esset. Praeterea se illos pecunia adiuturum esse promisit. Frustra autem Constantinus rebellantibus persuadere conatus est. Immo potius Maviae se subiecerunt foedusque cum Arabibus fecerunt, quo maiora impetraverunt, quam Constantinus eis obtulit. Etenim Mavia eis concessit, ut constituerent, quot annos pactio maneret, et pollicitus est se septem annos nullum tributum postulaturum esse, quo spatio praetermisso Armenii darent tributum, quantum vellent; nullos praefectos militesque Arabicos in Armeniam missum iri; si Graeci in eorum terram irrumperent, se eis auxilia missurum esse, quanta cuperent; Mavia postulavit tantummodo, ut Armenii certum numerum equitum in terra sua alerent, quibus ipse uti posset. Denique se hos equites nunquam in Syriam vocaturum esse Arabs promisit.

Constantinus quia videbat se precibus nihil effecisse, vi et armis desciscentes sub suam potestatem redigere constituit. Voluntati copiarum obsecutus ipse exercitum[1]) in Armeniam duxit. Cum in itinere esset, legati Maviae ad eum venisse dicuntur, qui cum imperatore egerunt eumque commovere conati sunt, ut cum suis domum rediret. Postquam Constantinus Theodosiopolim pervenit, ei principes Armenii, qui imperatori fidem servaverant, copias suas secum ducentes eodem se contulerunt. Etiam Nerses catholicus Theodosiopolim venit. Cum imperator ab his accuratiora de seditione et consiliis Theodori audivisset, una cum exercitu suo rebellantem devovit omnibusque honoribus et dignitatibus privavit. Eius loco alium principem Armeniis praefecit. Hic autem brevi post a Theodoro captus est. Qui cum intellegeret suam manum parvam a magno exercitu imperatoris, si acie decertaret, oppressum iri, ab Arabibus auxilium petivit. Interim Iberes, Albanos, Siunios, quibus sociis usus est, dimisit, ut in suo quaeque gens pago se defenderet, si Graeci aggrederentur. Ipse in insulam Althamar se abdidit, quae in lacu Thospiti (Wan) sita est.

Cum Constantinus Theodosiopoli moratus nihildum contra seditiosos suscepisset, quibusdam principibus, qui a parte Theodori steterunt, contigit Arphay oppidum et castellum capere, quo Armenii omnia sua bona, ut his temporibus turbulentis servarentur, congesserant. Eodem divitiae principum et opes ecclesiarum comportatae erant. Imperator cum de hac maxima calamitate certior fac-

1) Sebeos Constantinum centum milia militum secum duxisse prodit.

tus esset, tanto furore captus est, ut totam Armeniam a copiis suis diripi et exercitum ibi in hiberna collocari vellet, quo terra prorsus exhauriretur. Sed hoc consilio acri destitit, cum catholicus omnesque principes Armenii, qui aderant, eum suppliciter orarent, ut patriae parceret. Sebeos narrat imperatorem precibus eorum obsecutum maiorem partem exercitus sui dimisisse. Quod hoc fecit, valde mirandum mihi videtur; etenim adhuc nullo modo seditiosos superaverat aut puniverat. Immo potius credam Constantino tunc demum copias quam plurimas necessarias et utiles fuisse, cum Saraceni Armeniis auxilio accederent. Nescio an Sebeos hac in re narranda erraverit. Imperator ipse Theodosiopoli cum viginti milibus militum profectus in Dubios caput provinciae pervenit, ubi in domo Nersis catholici sedem collocavit. Ex hac urbe complures expeditiones in fines Iberum, Albanorum, Siuniorum misit. Hae autem copiae cum nihil contra has gentes efficerent, in terra earum diripienda acquieverunt; quo facto in Dubios urbem redierunt. Interim reliqua pars exercitus, si fontis contextus corruptus recte intellegitur[1]), Arphay castellum, quod seditiosi nuperrime oppresserant, obsidione clausit praesidiumque ad deditionem coegit.

Quantopere Constantinus Armenios cum Graecis vinculo eiusdem fidei coniungi cupiverit, antea iam vidimus; nunc quidem cum in capite Armeniae adesset, optatum se impetrare posse existimavit. Die dominica nescio qua catholicus, qui iam pridem fidem Graecorum clam probavisse dicitur, Constantino auctore in ecclesia dogma Chalcedonense palam pronuntiavit, cum imperator omnesque episcopi Armenii adessent. Eucharistia, quam Constantinus et Nerses et episcopi, quamvis inviti, sumpserunt, a Graeco clerico et ritu Graeco celebrata est. Armenii prorsus oppressi sunt; sed timentes magnas copias Graecas, quae in urbe aderant, publice intercedere non ausi sunt. Catholico imprimis magnopere irascebantur, quod ipse antea concilio anni 648/9 Graecum dogma reiecisset. Constantinus igitur non modo omnibus viribus non studuit, tumultum profligare, sed potius in quaestionibus ad fidem spectantibus versatus eos Armenios, quibus adhuc fidelibus usus erat, valde offendit et tali modo suis ipsius rebus detrimentum attulit.

Forsitan haud absonum sit conicere imperatorem odium Armeniorum tantopere suscepisse, ut in capitis periculum adductus sit. Sic si statuimus, narrationem Sebei melius intellegere possumus, qui prodit Constantinum valde a suis esse incitatum, ut statim

1) Cf. Hübschmann l. c. p. 33 adn. 1.

Constantinopolim reverteretur. Licet etiam ob aliam causam opus fuerit imperatorem in capite imperii adesse. Fortasse illo tempore coniuratio, de qua antea egimus, detecta est, ut Constantinus Constantinopolim redire deberet. Magna cum celeritate ex Dubiis urbe profectus est, postquam Maurianum Armeniae provinciae et copiis, quae ibi erant, praefecit.[1]) Una cum imperatore catholicus ex Dubiis urbe excessit et in Taiq terra sedem collocavit, cum odium Armeniorum timeret (A. D. 652).

Mavia Theodoro auxilia petenti septem milia militum misit, qui hieme anni 652/3 in Armeniam advenerunt et a Theodoro in regionibus, quae Aliowit et Bznuniq dicebantur, in hibernis collocati sunt. His adiuvantibus Graecos ex Armenia eiecit, eiectos tam acriter persecutus est, ut iam paschali tempore usque ad Pontum Euxinum perveniret, ubi Trapezuntem urbem oppressit. Magna praeda onusti Armenii et Arabes agris Graecorum devastatis multos captivos secum ducentes domum redierunt (a. 653). Itaque Constantini expeditio miserrime exiit. Imperator ipse praeceps ex Armenia profectus erat neque magnus exercitus, quem duxerat, usquam quicquam effecerat. Armenia tota a Theodoro Saracenisque obtinebatur.

Hac praeclara victoria a Graecis reportata Theodorus Damasci Maviam adiit, a quo magnis honoribus affectus est. Mavia eum amplissimis donis decoratum principem Armeniae, Albaniae, Siuniae praefecit. Brevi autem post Theodorus iterum ab Arabibus auxilium petere debuit. Cum in Althamar insula morbo affectus esset tam gravi, ut nihil suscipere posset, omnes principes Armeniae se coniunxerunt et terram inter se diviserunt. Cum autem Theodorus videret miseros incolas ab illis summa cum crudelitate exhauriri atque tributis quam maximis solvendis ad desperationem adduci, Saracenos advocavit, ut ab illis principibus poenas repeterent, cum solus contra eos nil efficere posset.

Habibo filio Maslamae duce exercitus Arabicus anno 654[2]) accessit et Armenii, quibus Mavia adhuc aliquantum libertatis con-

1) His in rebus narrandis nimirum Sebeon secutus sum, qui indigena accuratius res pernoverit quam Theophanes, qui prodit haec: A. M. 6134. *Τούτῳ τῷ ἔτει ἐστασίασε Πασαγνάθης, ὁ τῶν Ἀρμενίων πατρίκιος, τῷ βασιλεῖ καὶ σπονδὰς μετὰ Μαυίου πεποίηκε δεδωκὼς αὐτῷ καὶ τὸν ἴδιον υἱόν. καὶ ἀκούσας ὁ βασιλεὺς ἦλθεν ἕως Καισαρείας Καππαδοκίας καὶ ἀπελπίσας τῆς Ἀρμενίας ὑπέστρεψεν.*

2) Hic annus ex Sebei contextu colligi potest, cui etiam Theophanes Habibi invasionem tribuit; cf p. 345, 11 sqq. A. M. 6145 = A D 654.

cesserat, tunc quidem prorsus sub imperium Arabum subiuncti sunt. Theodorus omnesque principes statim Habibo se subiecerunt omniaque fecerunt, quae Arabs postulavit, cum aliter sibi supplicium esset timendum.

Graecos illo tempore cum Agarenis in Armenia pugnavisse in proclivi est conicere. Atque copiae Graecae Mauriano duce hostibus superiores fuisse videntur, cum maximam partem Armeniae, unde anno antecedenti expulsi erant, recuperavissent. Nam Sebeo teste Graeci sub fine anni 654 Arabes, quippe qui frigore graviter affecti essent, trans Araxem flumen reiecerunt. Quamquam non solum opportunitate usi Saracenos repulsos acriter non persecuti sunt, sed tantum hoc egerunt, ut praedam quam maximam facerent. Postquam castellum Dubiorum diripuerunt, Nahkcavan obsidione clauserunt. Sed Habib subito Graecos obsidentes vere anni 655 oppressit et victos fugavit. Maurianus dux, quem Habib usque ad Caucasi montes persecutus est, in fines Iberum effugit.[1]) Graecorum exercitu devicto Arabes se ad Theodosiopolim converterunt, cuius praesidium Graecum hostibus portas patefecit. Tunc autem Saraceni Armeniam, quam iterum expugnaverant, quasi hostilem agrum tractaverunt, cum totam provinciam et Siuniam Albaniamque depopulati nobiles Armenios eorumque cognatos in captivitatem abducerent. In captivorum numero etiam Theodorus fuit, qui brevi post Damasci diem supremum obiit.[2])

Cum Habib tanta crudelitate iniquitateque in Armenios usus esset, non mirum est, si hi cupiebant duro gravique iugo Agarenorum liberari. Itaque ab eis defecerunt et rursus Constantino se subiecerunt. Qui Hamazasp, principem Mamiconiorum, gentis Armeniae, praefecit provinciae recuperatae et dignitate curopalatae ornatum magnis muneribus donavit. Alios quoque principes honoribus affecit militibusque pecunias dono dedit.

Itaque invenimus auctoritatem Graecorum anno 655 in Armenia restitutam esse, non quidem propterea, quod Graeci armis superiores fuissent aut Armenios illos amore amplexi essent, sed tantummodo propterea, quod Armenii tunc quidem imperium Graecum duarum rerum malarum minorem esse rati sunt. Sola neces-

1) Theophanes perperam res gestas uni eidemque anno M. 6145 assignat, cum scribit: *τῷ δ' αὐτῷ ἔτει Ἄβιβος, ὁ τῶν Ἀράβων στρατηγός, τὴν Ἀρμενίαν ἐπεστράτευσε καὶ περιτυχὼν Μαυριανόν, τὸν τῶν Ῥωμαίων στρατηγόν, καταδιώκει αὐτὸν ἕως τῶν Καυκασίων ὀρέων καὶ τὴν χώραν ἐληΐσατο.*

2) Cf. Hübschmann p. 42 adn. 1. 5.

sitate coacti sub Graecorum dominationem redierunt. Atque hoc quidem tempore auctoritas Graecorum eo facilius corroborari potuit, quod Mavia illo quidem tempore animum potissimum in tumultum contra Othman chalifam exortum convertens exercitum in Armeniam mittere non potuit, qui rebellantes sub ipsius potestatem redigeret. Itaque eorum defectionem ultus crudelissime obsides Armenios trucidari iussit.[1])

Armenios aut cum Graecis aut cum Arabibus fecisse, prout res expostulaverunt, tempora sequentia ostenderunt. Etenim Armenia tamdiu provincia Graeca fuisse videtur, quamdiu Arabes in bello domestico occupati erant et in externis rebus versari non potuerunt. Cum autem Mavia imperium Agarenorum obtineret, Armenii iterum ei se subiecerunt timore commoti, quia „non ignorabant Graecos“, si armis Arabibus resistere vellent, „nullum auxilium missuros esse“, ut Chamchean (II 358) pronuntiavit.[2]) Si Elias Nisibenus sub A. H. 42 (Baethgen p. 114) (26. Apr. 662—14. Apr. 663) recte prodit Habibum, filium Maslamae, in Armenia quarta mortuum esse, liceat conicere Saracenos tempore quod diximus illam provinciam recuperavisse.

Sed nunc paululum respicientes videamus de pugnis, quas, dum haec in Armenia geruntur, Graeci Arabesque aliis locis commiserint. Quantopere Saraceni pacem, quam anno 651 cum Procopio fecerant, neglegerent, cum a parte Armeniorum seditiosorum stantes contra Graecos iam sequenti anno pugnarent, modo vidimus. Baladhuri[3]) A. H. 31 (24. Aug. 651—11. Aug. 652) et Elias Nisibenus A. H. 32 (12. Aug. 652—2. Aug. 653) Maviam in Romaniam invasisse produnt. Theophanes harum expeditionum nullam mentionem facit. Demum sub A. M. 6145 = 653/4 de expeditione navali ampliore, quam Mavia contra Rhodum insulam suscepit, agit. Qui auctor aliique Graeci praeter hanc insulam nullam aliam produnt, in quam hoc anno Arabes irruperint. Sed ni fallor de magna expeditione navali agitur, qua Saraceni complures insulas maris Aegaei aggressi esse videntur. Testibus utimur Bar Hebraeo et Michaele Syro. Primum classis Arabum cursum in Cyprum insulam direxit[4]), quae iterum tota devastata est. Incolae tributo soluto

1) Sebeos (ed. Macler p. 148) ca. 1775 homines occisos esse narrat.
2) Cf. Hübschmann p. 43 adn. 2.
3) Brooks, Hellen. Stud. 18, p. 203.
4) Bar Hebraeus (ed. Bruns-Kirsch, lat. vers.) II p. 111. Michael Syrus (ed. Langlois) p. 238 refert annum Sel. 965 = A. M. 6145.

vitam servaverunt. Inde Agareni in Rhodum se converterunt, quam insulam ceperunt. Mavia aes colossi qui destructus est mercatori Iudaeo vendidit.[1]) Bar Hebraeo teste insula ab Arabibus direpta est. Saraceni usque ad Con insulam processerunt, quam, ut Bar Hebraeus refert, dolo episcopi qui ibi sedem habuit subegerunt. Monendum mihi esse videtur iterum clericum a parte hostium Graeci imperii stantem inveniri, sicut antea Thomarichum, qui Aradios, ut hostibus se dederent, commovere studuerat. Postquam Arabes in Co insula praedam congesserunt, in Cretam navibus profecti esse dicuntur.[2]) Quid ibi effecerint, non refertur.

Sine dubio toti expeditioni Mavia ipse praefuit. Quod Syri auctores narrant insulas Cyprum, Rhodum, Con ab Abulatharo captas esse, prorsus falsa non produnt, nam Abulathar classi Arabicae praeerat.

Saraceni, quippe qui nuperrime demum naves ascendissent, excursiones maritimas facientes optime rem suam gessisse in promptu est atque mirandum esse censeo eos classe tam nova tanta assecutos esse. Haud scio an Mavia prosperos successus classis respiciens se iam navibus tantum valere putaverit, ut caput ipsum Graeci imperii aggredi audere posset. Impetum enim terra marique fieri voluit. Tripoli Phoenicia multas naves ornavit et simul copias paravit, quibus classis impleretur. Sed priusquam apparatus maritimus absolutus erat, funditus periit. Etenim opera duorum virorum, qui Tripoli versati rebus Graecorum faverunt, multi Graeci, qui ibi carceribus tenebantur, liberati sunt, per quos phylarcho urbis Arabico occiso plenus apparatus navalis igni consumptus est. Hac occasione Graecos et Arabes Tripoli manus conseruisse verisimile est; Bar Hebraeus multos Agarenos interfectos esse tradit.[3]) Quo facto Graecos in Romaniam fugisse narratur.[4]) Quamquam Arabes tanta calamitate affecti sunt, tamen apparatum supplere non desierunt. Mavia classi iterum Abulatharum praefecit[5]); ipse cum copiis terrestri via contra Constantinopolim profectus est (A.D. 655).[6])

1) Theophanes aliique. 2) Bar Hebraeus l. c.

3) Bar Hebraeus l. c. p. 111.

4) Theoph. p. 345, 18 sqq.; Elias Nisib. sub A. H. 34 (Baethgen p. 113).

5) Arabici fontes (Waqidi, Ibn Abd-El-Hakam, cf. Weil I. p. 162 adn. 2) et Continuatio Isidori Byz. Arab. (M. G. H. XI, 2 p. 344) perperam produnt 'Abdallam, qui Aegypto praepositus fuisset, classi Arabum praefuisse, quia maximam partem ex navibus Alexandrinis composita esse videbatur.

6) Cf. Wellhausen l. c. p. 419.

Apud Phoenicem, quae urbs ad Lyciae litus sita est, Abulathar in Graecam classem incidit[1]), cui Constantinus imperator ipse praefuit. Etiam frater eius, Theodosius nomine, adfuisse dicitur.[2]) Classes aliquamdiu in acie stetisse videntur. Una nox saltem praeteriit, priusquam proelium commissum est.[3]) Teste Waqidi (ap. Tabari 1, 2867 sqq.: cf. Wellhausen l. c. p. 419) Graeci nocte, quae pugnam antecessit, campanas pulsaverunt, Arabes quidem preces fecerunt. De numero navium utriusque classis fontes divergunt. Nimirum Arabici scriptores Graecos numero longe superiores fuisse tradunt.[4]) Matutino tempore proelium commissum est et Graeci, quamvis fortiter pugnavissent, gravissima clade affecti sunt. Caedes tanta fuisse dicitur, ut sanguine effuso mare rubefieret. Bar Hebraeus narrat viginti milia Graecorum occisos esse.

Imperator ipse summum in capitis periculum vocatus aegerrime fugiens vitam servavit. Quomodo in tutum pervenerit, Theophanes, Georgius Monachus, Bar Hebraeus tradunt. Georgii Monachi narratio cum Bar Hebraei discrepat; Theophanem autem utramque confudisse supra vidimus. Secundum alteram Constantinus, cum vehementissime ab hostibus urgeretur, vestem suam regiam fideli nescio cui induit et ipse cum paucis rate parva se in noctem coniciens Constantinopolim vectus est.[5]) Altera memoria proditur hoc: unus ex eis viris, qui Tripoli naves Arabum incenderant, cum periculum imperatori imminens vidisset, in navem regiam saliit et imperatorem, quippe qui Waqidi auctore (cf. Wellhausen p. 419) graviter vulneratus esset, arreptum in aliam ratem transportans servavit. Una cum Constantino Theodosius frater Constantinopolim effugit. Illum autem, qui imperatorem ex vitae periculo eripuisset, multis hostibus occisis fortiter dimicantem interfectum esse fontes consentiunt. Quantopere animi aequalium hac gravissima clade Graecorum commoti sint, ex verbis illius auctoris contemporanei, quae a Theophane p. 332, 15 sqq. memoriae produntur

1) Arabici auctores locum proelii navalis dicunt Dhât al Çavâri i. e. „locum malorum". Wellhausen l. c. p. 419 putat hac voce Phoenicem Lyciam significari.

2) Bar Hebraeus l. c. p. 111.

3) Theoph. p. 346, 1 sq.: *μέλλοντος δὲ τοῦ βασιλέως ναυμαχεῖν, θεωρεῖ κατ' ὄναρ τῇ νυκτὶ ἐκείνῃ κτλ.* Georgius Monachus p. 716, 13.

4) Cf. Weil l. c. p. 162 adn. 2, qui proelium apud Alexandriam esse commissum perperam prodit.

5) Conferas quaeso, quae antea de verbis Georgii Monachi huc spectantibus dixi.

elucet. Hic enim „*τὴν ἐν Φοίνικι παντελῆ τοῦ Ῥωμαϊκοῦ στρατοῦ τε καὶ στόλου ἀπώλειαν*“ aeque dolet atque cladem Hieromacensem et provincias Palaestinam, Syriam, Aegyptum perditas.

Quamquam Saraceni maximam victoriam a Graecis reportaverunt, tamen hostes via maritima ad Constantinopolim patefacta non persecuti sunt, sed classem domum reduxerunt.[1]) Atque conicias Abulatharum propterea non longius processisse, quod copiae terrestres, quibus Mavia praeerat, cum Graecis pugnantes nihil effecisse videntur. Sedes belli terrestris Cappadocia fuisse dicitur[2]), quo de bello Theophanes nihil aliud prodit nisi Maviam Caesaream urbem aggressum esse. Solus Bar Hebraeus accuratius de hac re egit.[3]) Quo auctore Caesarea ab Agarenis primum novem dies oppugnata est. Cum autem hostes urbem capere non potuissent, castris motis totam regionem diripuerunt. Sed brevi post redierunt urbemque iterum obsidione clauserunt. Atque tunc quidem Caesareenses portis patefactis pactionem cum hostibus inierunt, qua his tributum solvendum erat. Si Bar Hebraeus recte prodit Caesareenses se dedidisse propterea, quod nullum auxilium appropinquare vidissent, conicias urbem initio belli captam esse, priusquam copiae Graecae in Cappadociam progressae essent. Postea autem Arabes, ut Sebeos refert, devicti fugientes Armeniam quartam diripuerunt.

Bar Hebraeus[4]) et Michael Syrus[5]) consentiunt Constantinum post cladem apud Phoenicem acceptam Ptolemaeum, praefectum militum, ad Maviam misisse, ut pacem peteret et tributum promitteret, cum imperator timeret, ne Arabes Constantinopolim

1) Tabari apud Weil I p. 162 adn. 2. Sebeos quidem solus narrat Arabes navibus usque ad Chalcedonem venisse, sed vehementi tempestate totam classem deletam esse. Haec autem narratio fabella esse mihi videtur, cum neque Graeci neque Arabici scriptores ullo loco prodant classem Arabicam hoc tempore usque ad Chalcedonem provectam esse: cf. quae antea de hoc Sebei loco dixi.

2) Sebeos cap. 36 p. 142.

3) Bar Hebraeo teste (l c p. 110) Mavia, priusquam Graecis bellum intulit, exercitum in duas partes divisit, quarum altera Habibo duce hieme in Armeniam invasit unde „Arabes hominibus in captivitatem abductis, caesis viris, urbibus incensis redierunt. Alter exercitus duce Mavia tendebat Caesaream Cappadociae.“ Quo tempore hae res gestae sint, Bar Hebraeus non refert. Hanc autem narrationem ad annum 655, quem modo tractamus, referendam esse censeo. Etenim non dubito, quin auctor de ea invasione Habibi agat, quae anno 655, ut paulo ante vidimus, facta est.

4) L. c. p. 112. 5) L. c. p. 240.

adorerentur. Constantinus autem, quod Arabibus promiserat, non praestitisse dicitur: qua re Agarenos bellum redintegrare coepisse. Tunc Ptolemaeus hostibus tributum trium annorum misisse et Gregorium filium obsidem dedisse fertur.[1]) Sed neque Graeci neque Arabici scriptores de hoc pacto quidquam produnt, qua re dubitandum esse mihi videtur, num illae Syriacae narrationes ad veritatem accedant; forsitan spectent ad pactionem inter Graecos et Saracenos anno 651 factam, qua Arabes obsidem virum acceperunt, cui item Gregorius nomen fuit.

Neque vero Graeci proximo tempore habebant, quod novum impetum Maviae timerent, cum hostium animi praecipue ad res domesticas conversi essent.[2]) Othman chalifa plerisque sectatorum in odium venerat, quod permulta susceperat, quibus amici sociique Mohamed prophetae offensi sunt. Etenim bene meritos praefectos provinciarum suis locis removerat et cognatos suos pro illis instituerat. Deinde ei opprobrio datum est, quod propinquis, quibus etiam Mavia annumerandus erat, et familiaribus (i. e. Omaiadis), quorum multi olim aliquod facinus in prophetam commiserant, aures dedit. Maximam autem iram contraxit, cum novam Corani lectionem faciendam curaret. His atque aliis rebus Othman tantam indignationem movit, ut coniuratio in caput eius fieret. Die 17 Iulii mensis anni 656 necatus est.[3]) Coniurati eius loco Ali chalifam creaverunt, cui contigit omnes fere Arabes adducere, ut in suum nomen iurarent, praeter Maviam, praefectum Syriae. Quo factum est, ut inter hos bellum civile exoreretur. Adversariorum exercitus Iulio mense anni 657 apud Çiffin concurrerunt. Quamvis Ali proelio superior fuerit, tamen a suis coactus est, ut cum Mavia ageret. Pactione facta constitutum est, ut uterque exercitum suum dimitteret et Ali Kufanis et Mavia Syris praeesset. Haec autem pactio multis, qui ab Ali partibus steterant, displicuit adeo, ut contra eum arma caperent. Postquam Ali hos, „Chawaridj“ dictos, superavit, bellum contra Maviam qui summam imperii appetivit redintegratum est (A. H. 38 = 9 Juni 658—28 Mai 659). Ambrus partes Maviae secutus Ali chalifae Aegyptum provinciam eripuit, et Mavia, ne, si Ali aggressus esset, a Graecis aversus lacesseretur, coactus est, ab imperatore pacem petere. Quam ut impetraret, se Graecis tributum soluturum esse pollicitus est. Theophane teste[4]) constitutum est, ut Arabes cotidie mille denarios et unum servum

1) Michael Syrus l. c. 2) Cf. Weil I p. 165 sqq.
3) Cf. Weil I p. 185. 4) Theoph. p. 347, 16 sqq.

et equum Graecis traderent. Qui auctor refert pacem hanc esse factam A. M. 6150, cui convenit A. Sel. 970 = A. D. 658/9. Cum bellum inter Maviam el Ali initio A. H. 38[1]) redintegratum esset, probabile est eodem anno Hegrae ineunte pactionem inter Maviam et Constantinum factam esse. Atque respiciens tempus, quod a Theophane indicatur (A. M. 6550 = 1 Sept. 658—31 Aug. 659), tribuam pactionem autumno A. D. 658.[2])

Cedrenus[3]) et Leo Grammaticus[4]) tradunt imperatorem Maviae pacem petenti non obsecutum esse, verbis: „ὁ δὲ οὐκ ἐπείσθη“. Quid sibi haec verba velint, non intellego; etenim pacem re vera confectam esse ex Arabicis auctoribus (cf. Wellhausen p. 421), Syro Noeldekiano (D. M. Z. 29 p. 96), Elia Nisibeno, Theophane, aliis plane apparet.

Sed in rebus externis tractandis infra pergemus, nunc ad alia transeamus.

Quomodo Constantinus imperator controversias graves suae aetatis monotheleticas attigerit.

De origine et natura monotheleticae doctrinae hoc loco fusius agere alienum esse puto.[5]) Paucis tantummodo verbis explicare mihi liceat, quousque haeresis monotheletica progressa sit, antequam Constantinus imperium obtinuit.

Postquam Cyrus, episcopus Alexandrinus, anno 633 varias partes monophysitarum Aegyptiorum fundamento verborum „μίας ἐνεργείας“, quod Sergius episcopus Constantinopolitanus proposuerat, univit[6]) et hac ratione fidei catholicae, quae tunc concilio Chalcedonensi nixa erat, illos reconciliavisse visus est, nimio studio Sophronii, episcopi Hierosolymorum, unio modo confecta perturbari videbatur. Sophronius enim, qui formula unius operationis (μίας ἐνεργείας) magnopere offendebatur, epistula synodica, quam ad

1) Cf. Weil. I, p. 239.

2) Elias Nisib. perperam pactum A. H. 42 (26. Apr. 662—14. Apr. 664) assignat. Hoc anno indutias non incepisse, sed exiisse recte Wellhausen (l. c. p. 421 adn. 2) exponit.

3) L. c. p. 762, 7. 4) L. c. p. 158, 22 sq.

5) Cf. Owsepian, Die Entstehungsgeschichte des Monotheletismus, Lips. 1897. Krüger, Herzogs Prot. Real-Encycl. s. v. Monotheletismus.

6) Cyri dogma monotheleticum novem capitibus continebatur (Mansi XI p. 563). — Ab Heraclio eodem fere tempore Armenii et paulo post Syri monophysitici ad confessionem Chalcedonensem adducti esse videbantur.

omnes patriarchas dedit, monotheleticam doctrinam detestatus duas esse operationes et voluntates affirmavit. Honorius papa Romanus, qui doctrinae monotheleticae favebat, controversiam dirimere studens legatis Sophronii, qui Romanos in novam fidem incitarent, suasit ut Sophronium commoverent verba „duarum operationum“ omittere. Quod factum iri illi promiserunt, si Cyrus non iam de „una operatione“ verba faceret. Qua re Sergius adductus esse videtur, ut „ecthesin“ componeret, quae ab Heraclio probata et anno 638 subscripta est. Hoc scripto constituitur, ne verba *μία ἐνέργεια* aut *δύο ἐνέργειαι* adhibeantur, quia de earum sententia satis dubitari possit; deinde prorsus contenditur in Christo unam inesse voluntatem. A synodo sub finem eiusdem anni Constantinopolim convocata ecthesin cum doctrina apostolica convenire probatum est. Eodem anno Sergius obiit et Pyrrus sedem patriarchalem Novae Romae obtinuit. Qui sequenti anno synodum Constantinopolim congregavit et effecit, ut episcopi qui aderant ecthesin agnoscentes subscriberent. Etiam Cyrus hoc scriptum probavit.

Cum Honorius papa monotheleticae doctrinae studuisset[1]), post eius mortem clerici Romani magis magisque huic dogmati obluctati sunt. Atque eorum animi, ut docti censent, mutati esse videntur ea re, quod Isaac, exarchus Italiae, aerarium episcopale Romanum diripuerat. Nimirum hoc facinore Romani summopere contra Graecos exacerbati erant.[2]) Severinus papa[3]) dogma unius voluntatis reprobavit et Iohannes IV qui ei 24 die(?) Decembris successit synodo Romana congregata (a. 641) item illam doctrinam ut haeresin detestandam reiecit. Qui papa Constantino II imperatori litteras dedit, quibus de recta fide duarum voluntatum disseruit et ab imperatore postulavit, ut exemplaria ectheseos, quae locis publicis suspensa erant, rescindi iuberet.[4]) Heraclonam et Martinam fidei monotheleticae addictos esse ex intima amicitia, qua cum Pyrro et Cyro coniuncti erant, colligi potest.

Pyrrus postquam sede patriarchali depulsus est, in Africam provinciam se contulit, ubi cum Maximo abbate, propugnatore

1) Honorius mortuus est die 12 Octobris anni 638.

2) Cf. Vita Severini papae. Lib. pontif. I ed. Mommsen (M. G. H.) p. 175 sq. Maxima pars pecuniae Constantinopolim missa est, cum Heraclius bellis sumptuosis gestis in summam difficultatem nummariam adductus esset.

3) Consecratus 28 die(?) Mai anni 640; obiit 2 die Augusti mensis eiusdem anni.

4) Mansi X, p. 682 sqq.

clarissimo ditheleticae[1]) doctrinae, convenit. Disputatione cum illo habita Pyrrus pristinam fidem refellens ad ditheleticam (quae orthodoxa dicitur) se convertit.[2]) Et ut eam probaret, libellum composuit, quo ditheleticum dogma confessus unam voluntatem in Christo inesse negavit. Quod scriptum postquam Pyrrus Romae Theodoro papae, qui Ioannem die 12 Octobris mensis anni 642 mortuum secutus erat, obtulit, a papa venia impetrata aeque atque episcopus Romanus honoratus et tractatus est.[3]) Nec suspicio Graecis defuisse videtur Pyrrum non sua sponte, sed coactum illum libellum orthodoxae fidei composuisse et papae tradidisse, ut ex *„commemoratione eorum, quae . . . in Martinum papam acta sunt“* apparet.[4]) Pyrrus autem simulavisse videtur se fidem ditheleticam probare; etenim invenimus eum paulo post ad pristinam fidem monotheleticam rediisse. Haud scio an patriarcha, cum a civibus Constantinopolitanis expulsus esset, aliud quid facere non potuerit quam cum adversariis facere, si porro aliquid valere vellet. Tunc quidem (i. e. ca. a. 645) Constantinopolitani animis placatioribus fuisse videbantur, quam illis temporibus tumultuosis autumni anni 641, ut Pyrro facultas Byzantium redeundi daretur. Priusquam autem partibus Romanorum desertis ad Graecos transiit, cum Platone patricio, qui tunc exarchus Italiae provinciae praeerat, per eius legatos, qui Romam venerunt, egisse videtur[5]), et cum certior factus esset suo reditui nihil obstare, Ravennam se contulit, unde postquam ad dogma unius voluntatis rediit[6]) in caput imperii regressus est, ubi gratiam imperatoris civiumque recuperavisse videtur.

Sed nunc eo redeamus, unde modo digressi sumus. Loco Pyrri Paulus patriarcha Constantinopolitanus creatus est, qui eidem fidei addictus erat atque antecessor. Auctoritatem huius viri apud imperatorem iuvenem, quotiescumque de fide agebatur, videtur maxima fuisse. Neque dubito quin omnia, quae a Constantino III aetate puerili ad res ecclesiasticas pertinentia suscepta sunt, ex

1) Haec forma graeca est (cf. Anastasius Sin. 1181 A), non ‘dyotheleticae’, quod apud theologos legi.

2) Disputatio mense Iulio anni 645 coram Gregorio exarcho Africae provinciae habita est. Eius acta plena ap. Mansi X p. 710 sqq.

3) Cf. Vita Theodori, lib. pontif. I p. 179, 15 sqq.; Theoph. p. 331, 11 sqq.

4) Mansi X p. 859.

5) Cf. Commemorationem, Mansi X p. 859.

6) Cf. orationem Martini papae coram concilio Lateranensi habitam, Mansi X p. 877. Cf. Lib. pont. I, Vita Theodori p. 179, 20; Theoph. p. 331, 16 sq.

patriarchae auctoritate instituta sint. Itaque si infra de epistula, quam Constantinus ad papam Romanum dedit, audiverimus, nobis persuadebimus eam a Paulo compositam huius tantummodo viri sententias referre.

Primo Paulus operam dedisse videtur, ut papam Romanum sibi benevolentem redderet, cum se atque Constantinum iuvenem rectam fidem habere simularet. Patriarcha enim imperatorem epistulae Ioannis IV ad Constantinum patrem datae, qua papa, postquam multa de recta fide disseruit et Honorium, priorem papam, suspicione haereseos purgare studuit, postulavit, ut exemplaria ectheseos in publicis locis suspensa demerentur, summa comitate respondentem fecit et affirmantem se ecthesin rescindi iussisse.[1]) Et ut papa eius creationem confirmaret, Theodoro, qui Ioannem 11 Oct. 642 mortuum excepit, scriptum misit, quo simulavit se credere et docere sicut papa ipse crederet et doceret, et ea, quae Pyrrus antecessor fecisset, reprobanda esse.[2]) Re vera autem nihil mutatum est. Itaque papa denuo conquestus est ecthesin, quamvis imperator iussisset, adhuc a locis publicis non esse remotam. Deinde eadem epistula Paulum adhortatus est, ut episcopos congregaret, qui Pyrrum ritu canonico episcopatu deponerent, ne quando sedem patriarchalem rursus sibi arrogare posset.[3]) Quantopere papa enixus sit, ut Pyrrus a Constantinopolitanis episcopis rite deponeretur, inde apparet, quod, ut eadem epistula professus est, Serico archidiacono et Martino diacono responsalique praecepit, ut cum Paulo de Pyrri culpa regulariter exquirerent. Atque censuit Pyrrum esse exsecrandum, *„quoniam Heraclium, qui anathematizaverit inviolabilem orthodoxorum patrum fidem, diversis laudibus extulerit, et sophisticam iussionem ipsius, in qua quasi symbolum fidei composuerit* (i. e. ecthesin), *subscribendo firmaverit, furtivisque surreptionibus quosdam sacerdotes apud se singulatim praedictam chartam roborare coegerit, et in publicis locis suspendere ad destructionem Chalcedonensis concilii audaci transgressione praesumpserit“*.[4])

Duabus aliis epistulis, quarum altera ad episcopos, qui Paulum consecraverant, data est, altera ad omnes orientales episcopos scripta esse videtur[5]), iterum iustam Pyrri depositionem poscens illos

1) Cf. Pagi, Critica in Baronium II p. 825 (ad ann. 641 IV).

2) Hoc scriptum Pauli ipsum interiit, sed ex responsione papae nonnulla, quae in illo erant, colligi possunt. Cf. Mansi X p. 706 sqq.

3) Mansi X p. 704. 4) Mansi X p. 704.

5) Cf. Hefele, Conciliengeschichte III p. 164.

monet, ut ea, quae Pyrrus molitus esset, detestati orthodoxam fidem (ditheleticam) retinerent.[1])

Quodsi tunc quidem Theodorus speravit Paulum aliosque episcopos Constantinopolitanos ad dogma duarum voluntatum redituros esse, paulo post non potuit non videre patriarcham non modo omnia, quae antecessores instituissent, servare, sed etiam operam navare, ut doctrina monotheletica amplius propagaretur.[2]) Cum adhuc pax, ut ita dicam, inter Romanam et Constantinopolitanam sedes maneret, anno 646 impulsu Africanorum episcoporum discordia aperta exorta est. Hoc anno in Numidiam, Byzacenam, Mauretaniam, Carthaginem synodi congregatae sunt ad haeresin monotheleticam opprimendam, ut ex epistulis synodicis, quarum nonnullae ad nos venerunt, elucet. Episcopi Numidiae, Byzacenae, Mauretaniae epistula ad Theodorum data dicunt se ad Paulum litteras scripsisse, quibus eum adhortarentur, ut *„novitatis commentum repelleret et omnes chartas prae foribus ipsius sanctae ecclesiae ad scandalum populorum suspensas proiceret"*. Atque Africani postulaverunt, ut papa hanc epistulam per responsales suos Paulo transmitteret, *„quia in quandam suspectionem Africana a malignis hominibus apud regiam civitatem recitata esset provincia"*[3]).

Alia epistula synodali, quae ad imperatorem ipsum data est, episcopi Byzacenae provinciae a Constantino postulaverunt, *„ut novellae praesumptionis scandalum auferret et Paulum regali auctoritate ad orthodoxam fidem adhortaretur"*.[4])

Denique quarta epistula commemoranda est, quae a Victore, episcopo Carthaginiensi ad Theodorum data aetatem tulit. Victor papam de sua consecratione certiorem faciens, postquam rectam fidem professus est, monet ad haeresin impugnandam.[5])

Voluntati episcoporum Africanorum obsecutus Theodorus epistula ad rectam fidem accedere Paulum iussit. Quod quidem scriptum papae interiit; sed ex responsione patriarchae Constantinopolitani quae ad nos venit[6]) non solum papam per litteras cum Paulo egisse, verum etiam responsales suos diu cum illo de fide concertasse apparet, qui denique patriarcham invitarent, ut intellectum unius volun-

1) Mansi X p. 705 et 706 sq.

2) Ibid. p. 919. Africani episcopi ad Theodorum: . . . . *Quod ubi pertinaciter cognovimus invalescere.*

3) Mansi X p. 922. Epist. ad Paulum, Mansi X p. 930; cf. p. 34 huius diss.

4) Mansi X p. 926. 5) Ibid. p. 943 sqq.

6) Ibid. p. 1019.

tatis Christi interpretaretur et de sua interpretatione papam Romanum certiorem faceret. Atque tum demum Paulus papae monotheleticam doctrinam exponens, quid re vera de fide sentiret, palam et libere professus est.[1]) Quo facto Theodorus Paulum sede patriarchali deposuit.[2]) Ipse Paulus ultionis causa responsales papae, qui eum adhortati erant, ut haeresi sua abscederet, et alios clericos ditheleticos suppliciis persecutus est, quorum alios in custodiam coniecit, alios exulare iussit, alios verberibus affecit.[3])

Cum monotheletae et ditheletae animis infestissimis inter se discordarent, Constantinus imperator ipse controversiae se immiscuit, cum a. 648[4]) „typum", quem Paulus patriarcha composuit, edidit, quo decreto non tam dogma alterutrum rectum constituit quam omnino de voluntatum numero disputari vetuit. Argumentum huius scripti gravis, cuius exemplum inter acta concilii Lateranensis anni 649 ad nostram aetatem venit[5]), est fere hoc: Imperator confitetur se, *cum ex consuetudine utilitati suae civitatis et praecipue fidei immaculatae provideret, cognovisse populum suum orthodoxum in multa perturbatione esse, quod alii unam voluntatem, alii duas voluntates in Christo inesse crederent. Quam ob rem se arbitrari a deo inspiratum talem accensam discordiae flammam extinguere et non concedere eam ulterius humanas animas depasci. Itaque decreto se vetare subiectos orthodoxos de una voluntate aut una operatione aut duabus voluntatibus aut duabus operationibus disputare. Atque hoc decerni non eo consilio, ut aliquid de piissimis dogmatibus detraheretur, sed discordia tolleretur.* Sufficere dicit, *si homines tantummodo divinas scripturas et traditiones sanctorum quinque universalium conciliorum et simplices voces patrum sanctorum sequerentur nihil eis addentes proprium neque minuentes aut per suam intentionem eas interpretantes. Prior habitus ubique custodiretur. Unitatis autem perfectae et concordiae causa se iubere chartas ectheseos, quae in narthece S. Sophiae positae essent, tolli.* Iis autem imperator, qui eius decretum non respicerent, gravia supplicia comminatus talia constituit: „*εἰ μὲν ἐπίσκοποι, ἢ κληρικοὶ εἶεν, τῆς ἰδίας*

1) Mansi X p. 1019 sqq. 2) Ibid. p. 878.
3) Ibid. p. 879.
4) Typum hoc anno ab imperatore esse promulgatum ex actis S. Maximi elucet. Cf. Pagi l. c. II ad ann. 648 II p. 835.
5) Mansi l. c. p. 1029, quo loco titulus decreti non exhibetur; sed sescentis aliis locis hoc scriptum imperatoris „typum" esse dictum invenimus.

ἱερωσύνης τοῦ τε οἰκείου κλήρου, τρόποις ἅπασιν ἐκπεσοῦνται. εἰ δὲ μοναχοὶ εἶεν ἀφοριζέσθωσαν, καὶ τῶν ἰδίων ἀλλοτριούσθωσαν τόπων. εἰ δὲ ἀξίαν ἢ ζώνην ἢ στρατείαν ἔχοιεν, γυμνωθήσονται τούτων. εἰ δὲ τελοῦντες ἐν ἰδιώταις, εἰ μὲν τῶν ἐπισήμων ὄντες τυγχάνοιεν, τὴν τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῖς ὑποστήσονται δήμευσιν. εἰ δὲ τῶν ἀφανῶν καθεστήκοιεν, πρὸς τῷ τοῦ σώματος αὐτῶν αἰκισμῷ, καὶ ἐξορίᾳ διηνεκεῖ σωφρονισθήσονται· ὡς ἂν ἅπαντες φόβῳ τῷ πρὸς Θεὸν συνεχόμενοι, καὶ τὰς ἠπειλημένας αὐτοῖς ἀξίως ποινὰς εὐλαβούμενοι, ἀσειστόν τε καὶ ἀτάραχον τὴν εἰρήνην τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ φυλάξωσιν ἐκκλησιῶν".

Constantinus igitur animo, qui a duarum partium studio alienus erat, controversias molestas componere voluit, atque concedendum est hoc consilium ratione quadam et prudentia captum esse. Quodsi imperator speravit typo suo discordia tolli posse, erravit, cum in hoc decreto ipso causa novarum controversiarum contineretur. Etenim ditheletae typo magnopere offendebantur, quod ex eorum sententia bona doctrina orthodoxa una cum mala haeresi monotheletica opprimeretur.

Die 13 Mai anni 649 Theodorus papa vita discessit; cum nullo loco inveniamus eum quicquam contra typum nuperrime editum molitum esse, conicitur[1]) papam exemplar illius decreti omnino non vidisse. Eo magis autem Martinus, novus papa, qui die 5 Iulii mensis successit[2]), omni studio typum non solum, sed totam sectam monotheleticam impugnavit. Nam Maximo monente[3]) eodem anno ad dogma unius voluntatis detestandum in basilica Constantina Lateranensi synodum convocavit[4]), cui episcopi Italici (praeter Langobardicos), Siculi, Sardi intererant. Etiam complures abbates Graeci et monachi, qui ex orientalibus regionibus post Arabum invasionem Romam confugisse videntur, aderant. Concilium a die 5 usque ad 31 Octobris mensis congregatum erat eiusque acta, quae statim Graece vertebantur, plena ad nos venerunt. Concilium Sergium, Cyrum, Pyrrum, Paulum patriarchas haereseos accusatos argumentis culpae congestis exsecratum est. Opera quidem eorum et typus Constantis reprobata et damnata sunt.

1) Hefele III p. 189.

2) Martinus sedem occupavisse dicitur, antequam eius electio ab imperatore comprobata sit. Cf. Mansi X p. 852.

3) Theoph. p. 331, 27.

4) Ibid. p. 332, 1: *τῷ θ' ἔτει τῆς βασιλείας Κώνσταντος, ἰνδικτιῶνι ή*, et p. 344, 16 sub A. M. 6141 = A. D. 649/50.

Synodus, quae confessionem concilii Chalcedonensis confirmans doctrinam duarum voluntatum addidit, viginti canonibus suam confessionem plenam explicavit.[1]) Acta et epistula encyclica ad „omnes Christi fideles“ transmissa sunt.[2]) Atque epistula encyclica quidem christiani admonentur, ut sicut synodus ea, quae patres docuissent, comprobent, haeresin vero et ecthesin et typum et eos, qui haec scripta comprobent, detestentur neve ad fidem haereticorum accedant.

Martinus etiam Constantino acta concilii misit; eisque epistulam addidit qua imperatorem reverentissime allocutus de eis, quae synodus constituit, certiorem fecit. Sub initio epistulae Constantinum adhortatus est, ut cum concilio faciens haereticos una cum haeresi damnaret, orthodoxam autem fidem sanciret.

Addendum mihi videtur hac in epistula veluti aliis locis scriptorum traditorum imperatori nequaquam opprobrio esse datum, quod typum edidisset, nedum synodus Constantinum propterea exsecrata sit. Immo potius semper in Paulum solum ab adversariis culpam translatam esse invenimus. Quin hac in epistula modo citata Martinus imperatorem culpa haereseos prorsus absolvere studet, cum affirmat Paulum *„nefarie auribus imperatoris subrepsisse“*, ut typum promulgaret, *„sicut Sergius olim Heraclii avi auribus subrepsisset“*, ut ecthesin ederet.[3]) Ditheletas autem, cum imperatorem typi expertem dicerent, simulavisse persuasum habeo, quia imperatorem veriti detestari non auderent. Nam re vera Constantinus non solum cum Paulo, cum typum proponeret, consensit, sed etiam certum et decretum ei fuit omnibus modis eniti, ut typus suus apud adversarios valeret.

Cum Constantinus intellegeret ditheletas sua sponte typum non probaturos esse, non dubitavit vi et armis clericos contumaces ad obsequium adducere. Itaque Olympium cubicularium, dum synodus Romam congregata erat, in Italiam, cui provinciae eum loco Platonis exarchi praefecit, misit et iussit eum curare, ut episcopi, possessores, habitatores, peregrini typum subscriptione probarent; Martinum vero papam prehenderet et in omnibus ecclesiis typum recitari iuberet. Sed priusquam aliquid susciperet, experiretur, quid copiae de hac re sentirent. Si milites a partibus adversariorum stare cognovisset, silentium teneret, donec Romam et Ravennam exercitum coegisset, qui ipsi deditus esset.[4])

1) Mansi X p. 1151.
2) Mansi X p. 1170. 3) cf. Mansi X 794.
4) Hoc praeceptum imperatoris Olympio datum ab auctore vitae Martini (lib. pontif. p. 182, 11 sqq.) traditur.

Ex verbis imperatoris eum de fide militum Italicorum satis dubitavisse elucet. Atque sane Constantinus habuit, quod Italicis diffideret. Etenim non multo ante Mauricio duce contra imperium Graecum rebellaverant. Mauricius chartularius temporibus Theodori papae contra Isacium patricium, qui tunc Italiae exarchus fuit, tumultus conflavit, postquam iudices Romanos et totum exercitum Italicum iure iurando sibi obstrinxit. Auctor vitae Theodori papae (lib. pontif. I p. 178), quo hac in re narranda fonte utimur, Mauricium regnum appetivisse narrat. Isacius cum de eius seditione certior factus esset, Donum magistrum militum cum copiis Romam misit, ut rebellionem profligaret. Qui cum advenisset, iudices et copiae Romanae quae cum Mauricio fecerant timore commoti concitatorem tumultus deseruerunt et cum Dono fecerunt. Mauricius ipse ad altare basilicae Mariae quo confugerat comprehensus et una cum amicis sociisque sectatoribus magistri militum deditus est, qui seditiosos Ravennam traducerent. Mauricio quidem in itinere Isacii iussu caput praecisum est, cum reliqui supplicium effugerent, quia paulo post Isacius interfectus est (a. 643).[1])

Hunc tumultum respiciens Constantinus habuit, quod Olympio proficiscenti mandaret fidem copiarum Italicarum experiri, priusquam aliquid contra Martinum papam moliretur, praesertim cum ei coniciendum esset milites, quorum plerique indigenae Italici vinculo eiusdem ditheleticae fidei cum episcopo Romano coniuncti essent, potius ab huius, quam imperatoris partibus stare, quippe qui typo suo eorum fidem impugnaret.[2])

De eis rebus, quas Olympius in Italia gessit, auctor vitae Martini talia fere prodit.[3]) Olympius cum Romam veniret, synodum totam congregatam invenit. Postquam frustra concilium discutere conatus est, papam interficere studuit. Sed etiam hoc

1) Quo mortuo Constantinus imperator Theodorum Caliopam Italiae exarchum praefecit. Cf. lib. pontif. I p. 179, 11. Pagi ad ann. 643 p. 829.

2) Huc referre mihi liceat verba Gregorovii (Gesch. d. Stadt Rom i. Mittelalt. 4. Aufl. II p. 143): „Hier fällt ein Licht auf das Verhältnis Roms zum Exarchen: Dieser kaiserliche Beamte durfte die Stadt nicht mehr willkürlich zu behandeln hoffen, und zum erstenmal entdecken wir klar und deutlich ein Heer, welches sich aus den angesehenen Bürgern und Possessoren als Miliz gebildet hatte. Es empfing die zweifelhafte Löhnung von Constantinopel, aber es war national-römisch. Ohne seine Zustimmung erschien der Plan des Exarchen nicht ausführbar. Cf. Gelzer, Die Genesis der Byzantinischen Themenverfassung. Abhdlg. d. sächs. Ges. d. Wiss. Bd. 41. Philol.-Hist. Klasse 18. 1899 p. 26.

3) Lib. pontif. I p. 183.

consilium ad irritum cecidit. Nam spathario suo mandavit, ut Martinum in templo S. Mariae ad praesaepe gladio transfoderet, si exarchus apud altare ex manibus papae cenam dei sumeret. Sed cum spatharius facinus committere vellet, occaecatus est, ut papam conspicere non posset. Exarchus cum consilium suum perfractum videret, Martino omnia, quae ei imperata erant, aperuit et cum papa pacem fecit.

Hac autem narratiuncula nequaquam res gestae plene tractantur, quia gravissima quaeque, quae tunc in Italia vel Romae acciderunt, silentio praetermissa sunt. Atque hoc non miramur, cum auctor, qui sine dubio papam valde veneratus est, veritus sit ea memoriae prodere, quae Martino crimini dari oporteat. Etenim audimus Olympium contra imperatorem rebellavisse; et Martinus quidem suspectissimus erat illius seditionis particeps fuisse. Fonte utimur „commemoratione"[1]), qua comperimus Olympium, cum tumultum moveret, totum exercitum Italicum sibi conciliavisse.[2]) Martinus papa postea Constantinopolim transportatus et accusatus est, quod *„cum Olympio coniurationes fecisset militesque praeparavisset, ut* (exarcho seditioso) *iurarent"*.

Etiam ex vita Martini elucet papam cum Olympio concordasse, neque alienum mihi videtur conicere eum re vera proditionis Olympii conscium fuisse eiusque consiliis favisse. Neque enim existimo, accusationes proditionis, quas Graeci in Martinum fecerunt, omni fundamento caruisse. Et Martinus, cum Constantinopoli interrogaretur, cur cum Olympio consensisset, insimulationes criminis perduellionis non refellit, sed alio responsiones suas derivavit. Haud scio an maximo gaudio impletus fuisset, si Italia imperio Graecorum haereticorum odioso absolveretur et a principe quodam orthodoxo, qui cum papa consentiret, administraretur.

Constantinum quidquam contra Olympium rebellantem et milites seditiosos Italicos suscepisse non audimus. Forsitan hoc tempore magis animum in periculum, quod imperio ab Agarenis imminebat, converterit, quippe qui eodem anno expeditionibus maritimis Graecorum fines aggredi coepissent, cum Cyprum insulam invasissent.

Olympius, ut auctor vitae Martini refert, postea cum exercitu in Siciliam profectus est, ut Arabes, qui ex Africa venientes ibi sedes collocavissent, impugnaret. Sed morbo, qui totum eius exer-

1) Mansi X p. 855 sqq.
2) Ibid. p. 856: *habenti praecipue brachium universae militiae Italicae.*

citum oppresserit, ipsum confectum esse narratur. Ni fallor agitur de Arabum expeditione, quam A. H. 34 (654/5) Mavia, filius Hudaig in Africam provinciam fecit, unde eos in Siciliam transgressos esse verisimile est.[1])

Itaque adhuc consilium imperatoris quo papam Romanum ad typum probandum cogeret ad irritum ceciderat. Martinum contra pergentem invenimus dogma monotheleticum quocunque modo impugnare, ditheleticam autem fidem propagare. Si antea Martinus Constantini iram contraxerat, quod consiliis imperatoris prudentissimis, quippe qui typum proponens adversarias partes inter se reconciliare studeret, obluctatus erat, iam Constantinum, postquam papa in suspicionem incidit eum Olympii rebellionis participem fuisse, eo magis illi infestum fuisse facile coniciemus. Et cum imperatori certum deliberatumque esset, papam in ius vocare, Theodorum, Caliopam cognomine, in Italiam exarchum misit[2]), ut Martinum prehensum Constantinopolim abduceret.[3]) Theodorus Caliopa cum Theodoro Pellurio cubiculario exercitum Ravennatem secum ducens die 15 Iunii mensis anni 653 Romam venit.[4]) Papa qui praescivit, quae exarchus novus meditaretur, ei ipse non obviam iit morbum simulans, sed cum clericis suis in basilicam Constantinianam se contulit, ut ibi exspectaret, quid accideret. Cum Graeci urbem intrarent, nonnullos clericos eis obviam misit, qui exarchum nomine suo salutarent. Theodorus in palatio, ubi sedem collocavit, clericos a papa missos suscepit et comitatem simulans dixit se postridie Martinum aditurum esse, ut eum adoraret. Dicta autem die, quae dominica fuit, Theodorus non venit, ut promiserat, sed quia tumultum multitudinis timuit, quae hac die in templum, ubi Martinus versatus est, confluxit, simulavit se ex itinere adeo fatigatum esse, ut Martinum adire non posset et pollicitus est se sequenti die certe venturum et papam adoraturum esse. Postquam exarchus a chartulario suo palatium episcopale perscrutandum cu-

1) Cf. Ibn Abd-El-Hakam (Slane) p. 307 sq.

2) Theodorus Caliopa igitur bis Italiae exarchus praeerat. Cf. Pagi ad ann. 643 III.

3) Quae ab illo tempore Martinus perpessus est, ipse epistulis ad Theodorum amicum (Mansi X p. 849, 851) datis narrat. De eis rebus, quae Constantinopoli gestae sunt, imprimis docemur „commemoratione", quae ab amico papae nescio quo composita est (Mansi X p. 853 sqq.).

4) Anno 653 Martinum a Theodoro exarcho prehensum esse Pagi l. c. III p. 5 (ad ann. 650 VII) ostendit.

ravit, quod suspicatus est papam ibi arma et lapides praeparavisse armatosque collocasse, media nocte in basilicam cum copiis suis irrupit, ut papam, qui ad altare in lectulo iacebat, prehenderet. De magno tumultu quem milites moverunt Martinus ad Theodorum talia scripsit: *„percutiebantur armis candelae sanctae ecclesiae et retunsae excutiebantur in pavimentum, et audiebatur sonitus, qui in eadem fiebat ecclesia, veluti tonitrus quidam horribilis tam ex pressura armorum quam ex multitudine candelabrorum ab eis fractorum“.*[1]) Simul Theodorus Caliopa presbyteris diaconisque qui cum papa erant litteras imperatoris dedit, quibus decretum erat, ut Martinus deponeretur *„quod irregulariter et sine lege episcopatum subripuisset et non esset in apostolica sede dignus institui“*; quo Constantinopolim transportato alium papam eius loco instituendum esse.

Romani ad resistendum non parati esse videbantur et Martinus qui, ut ipse fatetur, sanguinem fundi noluit Theodoro se dedidit. Populus autem qui concurrerat clamavit, cum Martinus ex ecclesia exiret *„Anathema habeat quisquis dixerit vel crediderit Martinum usque ad unum apicem fidem mutavisse aut mutaturum esse“*. Ut multitudo excitata placaretur, Theodorus clamavit nullam aliam fidem praeter orthodoxam esse seque ipsum haud aliter credere. Postquam Martino petenti concessit, ut clerici eum sequerentur quos vellet, eum in palatium abduci iussit, ubi interim custodia tenebatur. Die Martis omnes clerici papam depositum visendi causa adierunt, quorum multi parati erant eum Constantinopolim sectari. Cum exarchus timuisse videatur, ne Romani, qui sine dubio comprehensione episcopi magnopere exacerbati erant, prohiberent, quominus Martinus Constantinopolim abduceretur, papam nocte sequenti omnibus eius amicis remotis ex urbe educendum et ad portum transportandum curavit neque concessit ei quidquam secum ducere nisi ea, quae maxime necessaria essent. Et ne quis ex urbe ad papam veniret, portas claudi iussit. Quo facto Martinus in navem deductus est, ut in caput imperii transveheretur.

Etiamsi haud ita multo ante S. Maximus sententias Romanorum clericorum arrogantissimorum pronuntians negaverat imperatoris esse se rebus ecclesiasticis immiscere[2]), tamen Constantinus imperator non passus, de suo iure summi episcopi detrahi, auctoritatem suam plenam probavit, cum papam, quippe qui suis consiliis pacem spectantibus summa cum pervicacia contumaciaque obversa-

1) Mansi X p. 852. 2) Vide infra.

tus esset, deponeret. Quin effecit, ut Romani clerici ipsi Martini depositionem probarent, cum eo vivo novum papam, Eugenium nomine, crearent.

Sed videamus nunc de exitu Martini. Postquam tres menses navigavit, Naxum pervenit, qua in insula se unum annum moratum esse in epistula ad Theodorum data narrat.[1]) Unde profectus die 17 Septembris mensis Constantinopolim advenit, ut auctor „commemorationis“ refert.[2]) Itaque si his duobus locis fides debetur, die 17 Septembris anni 654 Byzantium venisse putandus est. Sed secundum alteram computationem annus, quo in caput imperii venerit, statuendus erat 653. Artissime enim cum hac quaestione est illa coniuncta, quamdiu Paulus sedem patriarchalem Constantinopolis obtinuerit. In „commemoratione“ invenimus quaestionem in Martinum institutam esse die 93, postquam Byzantium venerit (i. e. 19 die Decembris mensis), et brevi post Paulum patriarcham mortuum esse. Itaque nixi verbis Martini (epist. ad Theod.) et „commemoratione“ Pauli mortem exeunti anno 654 tribueremus. At contra in catalogis episcoporum Constantinopolitanorum refertur Paulum duodecim annos patriarcham fuisse.[3]) Et cum antea viderimus eum Octobri mense anni 641 institutum esse, Paulus exeunte anno 653 obiisse videtur. Ex altera autem parte monendum est diem illum 93 (= 19 diem Decembris), quo quaestio in papam instituta sit, ab auctore „commemorationis“ *παρασκευήν* esse dictum et Brooks (Byz. Ztschft. VI p. 46 adn. 1.) recte adnotasse illam *παρασκευήν* cum 19 die Decembris anni 654 quidem congruere. Itaque etiam nunc dubium mihi videtur, utrum Martinus anno 653 an 654 Constantinopolim venerit, quamvis Krueger (H. R. E. s. v. Monotheletismus) pro certo putet solum annum 653 in censum venire.

Postquam navis portum Constantinopolitanum cepit, Martinus in grabato navis iacens a mane usque ad vesperum ludibrio faecis plebeculae oblatus erat. Sub occasum solis scriba quidem, Sagoleva nomine, et excubitores in navem venerunt, qui papam in carcerem

1) Mansi X p. 853. 2) Ibid. p. 854.

3) Catalogos complures episcoporum Byzantinorum Brooks (Byz. Ztschrft. VI p. 40) composuit. Alii catalogi Paulum ἔτη ιβ′, alii ἔτη β′ ἡμέρας κϛ′ sedem patriarchalem obtinuisse referunt. Brooks, qui Paulum die 27 Decembris a. 654 mortuum esse censet, conicit loco verborum ἔτη(ι)β′ ἡμέρας κϛ′, quae catalogi exhibeant, in archetypo fuisse haec: ἔτη ιγ′ μῆνας β′ ἡμέρας κϛ′. Numerum mensium β′ excidisse probabile mihi videtur, sed nimis violenter Brooks conicere mihi videtur pro ἔτη ιβ′ esse ponenda ἔτη ιγ′.

Prandearium portaverunt, ubi diligenti custodia tenebatur. Hoc tempore ad Theodorum quendam[1]) epistula data esse videtur, qua Martinus queritur *„quadraginta septem dies nunc praeteriisse, postquam lautus esset, seque totum morbo et inopia consumptum esse“*.

Die 19 Decembris mensis, ut iam dixi, papa in iudicium adductus est, de quo tam fuse auctor „commemorationis“ egit, ut eum adfuisse conicias. Martinus perduellionis accusatus est, quod cum Olympio fecisset. Mirum videtur, quod Graeci anxie vitaverunt, ne de fide quid proferretur. Inter eos, qui contra Martinum testati sunt, milites et homines erant, qui olim Olympium seditionem conflantem secuti erant. Ut auctor „commemorationis“ refert, tota quaestio ficta erat. Qui tradit accusatores omnes *„filios mendacii“* eorumque *„voces praemeditatas et praeparatas“* fuisse.[2]) Hefele quidem de „commemoratione“ ita iudicat: es ist da (wie dort sc. in epistulis Martini) die Erzählung der schrecklichen Vorfälle, wenn auch mit blutendem Herzen, so objectiv gehalten, dass an der Treue dieser Quelle noch niemand gezweifelt hat.[3]) Sed ne obliviscamur hanc „commemorationem“ ab auctore esse compositam, qui maximo amore papam coluerit et eius partes secutus persuasum habuerit Martinum esse innocentissimum. Itaque cum alia testimonia, quae illas res illustrent, desint, licet de fide memoriae commemoratae dubitare, cum prodatur insimulationes criminis perduellionis esse omnes fictas. Quid de culpa Martini sentiam, iam antea exposui.

Sed nunc reliqua narrare liceat. Cum sacellarius, qui iudicium exercuit, putaret satis testimoniorum esse, imperatori nuntiavit, quae gesta essent. Papa autem in sella sedens — propter languorem corporis pedibus stare non potuit — ex cella iudicii portatus et in medio atrii positus est, ut populus eum spectaret. Quem locum paulo post cum solario expositionis mutare iussus est, ut imperator ex cancellis triclinii sui videre posset quae fierent. Tanta multitudo hominum convenerat spectatum, ut via usque ad hippodromum hominibus referta fuisse dicatur. Interim sacellarius imperatorem adierat; haud scio an ex Constantino quaesiverit, quid fieri vellet; nam postquam ex triclinio imperatoris ad Martinum rediit, hunc allocutus est verbis hisce: *„Vide quomodo deus te duxerit et tradiderit in manus nostras. Tu nitebaris contra imperatorem, quid tibi spei erat? Ecce dereliquisti deum et dere-*

1) Mansi X p. 851. 2) Mansi X p. 855.
3) Hefele l. c. III p. 209 sq.

liquit te deus", et iussit excubitorem quendam adstantem vestimentum papae patriarchale detrahere. Quo facto tradidit miserum praefecto urbis haec dicens: „*Tolle eum et continuo membratim incide illum*". Eos autem qui aderant iussit papae maledicere; sed pauci tantummodo ei obsecuti esse dicuntur. Carnifices reliquis vestimentis rescissis, ut corpus Martini nudum conspiceretur, ferreis vinculis eius cervicem circumdederunt et, cum gladius ante papam portaretur, eum maledictis vexantes per totam urbem traxerunt. Cum ad praetorium pervenissent, Martinus primum in carcerem quo homicidae tenebantur iniectus est; sed inde una hora post carnifices eum in custodiam Diomedis cuiusdam transportaverunt atque tanta vi detruserunt, ut eius crura poplitesque dilaniarentur et sanguis in gradus effunderetur. Accessit quoque, quod magno frigore, quia fere nudus erat, vexabatur; etenim haec omnia media hieme acciderunt. Tantopere senex doloribus cruciatuum confectus erat, ut tota die mortis vicinus esset. Vesperi praefectus ei aliquid cibi misit eumque vinculis ferreis liberavit.

Postero die Constantinus imperator Paulum patriarcham, qui animam egit, visendi causa adiens omnia quae in papam gesta erant narravit. Cum Paulus comperisset, quae mala adversarius miser perpessus esset, exclamavisse dicitur: „*Hei mihi et hoc ad abundantiam iudiciorum meorum actum est.*" Et obsecravit imperatorem, ut in eis asperitatibus, quibus adhuc Martinum affecisset, acquiesceret.

Paulo post Paulus obiit et Pyrrus iterum episcopatum sibi ascivit. Multis autem contradicentibus, qui Pyrri mutatione fidei haud scio an offensi essent, Constantinus Demosthenem, rescriptorem et collaboratorem sacellarii, ad Martinum misit, qui ex eo quaererent, num Pyrrus sua sponte ad ditheleticam fidem transiisset et voluntarie libellum, quo hanc doctrinam professus est, Theodoro papae obtulisset. Martinus Pyrrum omnia sua sponte fecisse respondit. Deinde Demosthenes eum interrogavit, quomodo Pyrrus Romae tractatus esset. Et postquam Martinus dixit illum ab eius antecessore esse exceptum quasi episcopum, Demosthenes se comperisse contendit Pyrrum vi coactum libellum scripsisse et multa mala a ditheletis accepisse. Contra haec papa monuit Constantinopoli testes, inter hos Platonem, qui tunc exarchus Italiae fuisset, adesse, quos de illa re Byzantii interrogarent, si ipsi diffiderent et verba addidisse dicitur haec: „*Verumtamen, quid volumus plurima quaerere? Ecce in manibus vestris retinetis me, et quodcunque vultis consummate in me, deo indulgente in vestra est potestate. Utique si membratim inciditis carnes meas, sicuti prae-*

fecto iussistis, cum me traderetis, non communico ecclesiae Constantinopolitanae".[1]) Diomedes autem, ut ex eius et Martini disputatione colligi potest, talia de Pyrro quaesivisse videtur non tam, ut patriarchae aliqua incommoda nascerentur quam ut ditheletis crimen quoddam fingeretur, quippe qui ex sententia Graecorum Pyrrum male tractavissent.

Postquam Martinus in carcere Diomedis 85 dies conclusus est, Sagoleva scriba eum iussu sacellarii domum suam traduxit, unde papa duobus diebus post navi clam Chersonem transportatus est, ubi exsul die 17 Septembris anni 655 obiit.

Ut iam antea dixi, monendum esse mihi videtur papae, cum quaestio in eum instituta esset, ne una quidem syllaba crimini datum esse, quod intentionibus Constantini, quippe qui typo promulgato differentias ad fidem pertinentes tolli vellet, adversatus esset. Attamen nemo dubitare potuit, quin haec vera causa damnationis Martini esset. Quod papa non propter hanc accusatus est, haud scio an sic explicari possit. Cum imperator cognovisset se Martino papa adversario inimicissimo uti, eum penitus opprimere constituit. Et quia ei poenae, quas typo proposuit, leviores videbantur, quam ut his papam afficeret, destitit eum in ius vocare, quod in typum peccavisset, sed eum accusavit potius crimine perduellionis, ut capitis damnaretur. Quod factum esse vidimus. Pauli autem patriarchae precibus Constantinus commotus esse videtur, ut Martinum capitis absolutum exilio tantummodo multaret. Praeter Martinum autem Constantinus etiam alios episcopos, qui typum reprobaverant, vexavit; etenim Theophane teste[2]) multi eorum verberibus, exilio, confiscationibus puniti sunt.

Summo autem rigore Constantinus in Maximum abbatem eiusque duos discipulos usus est. Qui vir[3]) propugnator clarissimus fidei ditheleticae existimandus esse videtur; nam ubicumque potuit verbis et scriptis doctrinam monotheleticam impugnavit. Nobili gente Constantinopolitana circa annum 580 natus ab Heraclio imperatore, cum eximio ingenio excelleret, primus secretariorum regiorum factus erat. Sed Maximus hoc munus summae auctoritatis cum vita monachi mutare praeferens in monasterium Chrysopolitanum se recepit (ca. a. 630), ubi propter pium studium praeclaramque doctrinam paulo post dignitate abbatis ornatus est. Cum discordiae monotheleticae

1) Commemoratio, Mansi X p. 859.
2) Theoph. p. 332, 4 et p. 351, 20.
3) De Maximi vita cf. Seeberg H. R. E. s. v. Maximus Confessor, vol. 13 p. 458 sqq. et de eius scriptis et doctrina ibid. p. 462 sqq.

exorerentur, partes ditheletarum secutus dogma adversariorum scriptis epistulisque impugnare coepit. Maximo praecipue auctore Africa provincia sedes adversariorum doctrinae monotheleticae, qui Gregorio patricio fautore benevolo usi sunt, facta est. Ibi abbatem Pyrrum disputatione facta haereseos convicisse et ad ditheleticam fidem adduxisse antea iam vidimus. Maximo monente anno 646 Africanae synodi congregatae sunt, quae papam Romanum ad haeresin opprimendam adhortarentur. Una cum Pyrro abbas Romam venit, ubi perrexit omnibus viribus adversarios impugnare. Cum Constantinus exemplar typi Romam misisset, qua occasione data Gregorius, legatus imperatoris, Maximum adiit et cum eo de fide collocutus est, abbas negavit imperatoris esse de dogmatibus quaerere.[1]) Maximo quidem auctore Martinus papa concilium Lateranense anno 649 convocavisse dicitur, ut monotheleticum dogma et typum damnaret.

Itaque Constantinum huic adversario acerrimo maximopere infensum esse apparet; qua re Romae etiam Maximum eiusque duos discipulos, Anastasios nomine, quorum alter monachus, alter responsalis fuit, comprehendendos et Constantinopolim adducendos curavit, ubi eos in ius vocari voluit. Auctor vitae Maximi refert abbatem una cum Martino papa prehensum esse; sed de huius memoriae fide dubitari posse mihi videtur, cum neque Martinus epistulis neque auctor „commemorationis", cum de captione et traiectione in Graeciam facta agunt, ullam Maximi mentionem faciant.

Cum Constantinus, postquam Martinum in ius vocavit, solum hoc spectaret, ut papa contumax praefracte puniretur, Maximum primo non tam poenis afficere quam potius sibi reconciliare studuit. Nam respiciens, quanta abbati auctoritas ab omnibus ditheletis tribueretur, sperare potuit etiam reliquos, qui duas voluntates profiterentur, si Maximum cum ecclesia Constantinopolitana facientem vidissent, exemplum principis sectaturos esse sic, ut discordiis dogmatum sublatis totus populus Christianus uniretur. Itaque in-

1) Cf. „Relationem motionis factae inter domnum abbatem Maximum et socium eius atque principes in secretario", quam Anastasius responsalis composuit. Migne, Patr. graeca. 90 p. 110 sqq.: *Καὶ εἶπας* (sc. Gregorius): *Τί οὖν; οὐκ ἔστι πᾶς βασιλεὺς Χριστιανὸς καὶ ἱερεύς; Καὶ εἶπεν* (sc. Maxim.) *Οὐκ ἔστιν. οὐδὲ γὰρ παρίσταται θυσιαστηρίῳ, καὶ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τοῦ ἄρτου ὑψοῖ αὐτὸν, λέγων· Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. Οὔτε βαπτίζει, οὔτε μύρου τελετὴν ἐπιτελεῖ, οὔτε χειροθετεῖ, καὶ ποιεῖ ἐπισκόπους καὶ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους· οὔτε χρίει ναοὺς, οὔτε τὰ σύμβολα τῆς ἱερωσύνης ἐπιφέρεται, ὠμοφόριον καὶ τὸ Εὐαγγέλιον, ὥσπερ τῆς βασιλείας, τόν τε στέφανον καὶ τὴν ἁλουργίδα* (l. c. p. 117.).

venimus Graecos omnibus rationibus conatos esse Maximum ad suam fidem aut saltem ad typum probandum adducere; neque minae neque blandimenta neque promissa defuerunt, ut ea quae secuti sunt impetrarent.

Quaestio in Maximum eiusque discipulos anno 655[1]) in palatio senatoribus aliisque adstantibus instituta est. Sicut Martinus etiam Maximus primum proditionis rebellionisque accusatus est, cum ei crimini verteretur, quod eius opera provinciae Aegyptus, Pentapolis, Africa Graecis ab Agarenis ereptae essent. Deinde Gregorium patricium adhortatus esse dicebatur, ut contra Constantinum imperatorem rebellaret. Etiam quod Romae Gregorio dixisset imperatorem non esse eundem sacerdotem, nimirum ei opprobrio datum est. Maximo abducto Anastasius alter interrogatus est, num abbas Pyrrum male tractavisset. Qui cum contra magistrum suum non testatus esset, verberibus affectus et cum altero discipulo abductus est. Maximus iterum arcessitus a Mena abbate accusatus est, quod homines adduxisset, ut Originis decreta sequerentur. Hanc autem insimulationem Maximus statim irritam reddidit, cum Originem detestaretur. Quo facto novis criminibus in Maximum non prolatis iudicium est omissum.

Sub vesperum eiusdem diei Troilus patricius et Sergius Eucrates, qui mensam imperatoris administravit, Maximum in carcere adierunt et interrogaverunt de quaestionibus dogmaticis, quas cum Pyrro in Africa habuisset. Maximus omnibus rebus, quae gestae essent, explanatis addidisse dicitur verba haec: *„Ego quidem dogma proprium non habeo, sed commune ecclesiae catholicae“*. Et quaerentibus Troilo et Sergio, qua re cum ecclesia Constantinopolitana facere nollet, respondit se propterea cum illa ecclesia consentire non posse, quia Byzantii novem capita Cyri, ecthesin, typum probantes concilia sancta reiecissent.

Cum Graeci omni studio in id incumberent, ut Maximum sibi reconciliarent, Eugenius, novus episcopus Romanus, paratus esse videbatur, — haud scio an ab exarcho adductus sit —, cum sede Constantinopolitana facere. Atque sane utraque ecclesia, cum fundamento unionis dogmate trium voluntatum quod dicitur usa sit, consentire videbatur. Graeci proponentes hanc doctrinam, quae inter monotheleticam et ditheleticam intercederet, voluerunt in Christo unam voluntatem substantialem et duas voluntates naturales inesse, i. e. si Christi persona respiceretur, de una voluntate dicendum esse; sin vero

1) Cf. Pagi l. c. ad. ann. 657.

duae Christi naturae respicerentur, propriam cuique naturae voluntatem esse attribuendam.[1])

Cum disputatio inter Maximum et Troilum Sergiumque haberetur, responsales Eugenii cum Constantinopolitanis de eorum propositione egisse et ad hanc probandam parati esse videbantur. Maximus cum de consiliis responsalium a Troilo Sergioque certior factus esset, huic rei satis diffisus est; nam dixisse fertur: „*hi* (sc. responsales) *qui venerunt, praeiudicium quoque modo Romanae sedi, quamvis communicent, eo quod epistulam non detulerunt ad patriarcham, facturi non sunt*".[2])

Cum ei opprobrio daretur eum imperatorem detestari, si typum, quem Constantinus pacis causa promulgavisset, reprobasset, dixit eos, qui ecclesiae Constantinopolitanae praefuissent, imperatorem induxisse, ut typum ederet. Et admonuit Troilum Sergiumque imperatori suadere, ut faceret sicut Heraclius avus, qui, cum magnam indignationem propter ecthesin motam esse vidisset, hoc scriptum a se esse compositum negavisset.[3]) Post haec Anastasio teste Troilus et Sergius et Maximus postquam mutuam salutem dederunt et acceperunt, cum omni hilaritate discesserunt.

Haud ita multo post[4]) patriarcha Maximum certiorem fecit ecclesias Constantinopolis, Romae, Antiochiae, Alexandriae, Hierosolymorum esse unitas. Itaque si Maximus catholicus diutius dici vellet, opus esse eum cum illis ecclesiis concordare. Responsales igitur Romani ad dogma trium voluntatum accesserant. Sed quamquam Maximo diceretur: „*visum est dominatori et patriarchae, ut per praeceptum papae condemneris, nisi oboedias, et quam illi decreverunt mortem sustineas*"[5]), tamen commoveri non potuit, ut cum Graecis faceret.

Aliquanto post iterum maior quaestio in Maximum eiusque discipulos in palatio instituta est, cui Petrus, qui Pyrrum[6]) exceperat et in fide omni modo vestigia antecessorum premebat, et Macedonius, patriarcha Antiochiae[7]), intererant. Anastasiis duobus interrogatis

1) Cf. epistulam Anastasii monachi ad monachos Calarienses datam (Migne patr. gr. 90 p. 134); Hefele l. c. III p. 217.

2) Migne l. c. p. 122. 3) Migne l. c. p. 125.

4) Die 22 Aprilis anni 655; cf. Pagi, ad ann. 657, VI. VII.

5) Cf. Maximi epist. ad Anastasium monachum datam, Migne l. c. p. 131 sqq.

6) Postquam Pyrrus Paulo mortuo sedem patriarchalem rursus occupavit, 4 mensibus, 23 diebus praetermissis obiit.

7) Macedonius episcopatus sedem, quam a. 638 Arabes ceperant, non intraverat, sed Constantinopoli vixit.

Graeci novas minas in abbatem iactaverunt, ut timefactus facilius pareret. Troilus enim patricius ita Maximum increpuisse dicitur: *„dic, abba, vide, dic veritatem et miserabitur tui dominator. Nam si ad legalem inquisitionem venerimus et invenerit saltem unum verum ex his, de quibus accusaris, lex occidet te“*. Quaerentibus adversariis Maximus confessus est se saepenumero typum quidem damnasse, sed falso contendi se una cum typo imperatorem esse detestatum.

Ut vidimus controversiae monotheletarum et ditheletarum magis magisque gentibus praecipue Graecorum et Romanorum continebantur, idque ita, ut Graeci unam, Romani duas voluntates profiterentur. Simultatem utriusque nationis saepius iam commemoravimus. Et cum Maximus omni studio monotheletas impugnaret, ex sententia Graecorum in suam ipsius nationem peccavit, quod opprobrium etiam illi quaestioni inesse mihi videtur, cur Romanos diligeret, Graecos odisset. Postquam abbas etiam alia interrogatus est, in carcerem est reductus.

Sequenti die (dominica) synodus Constantinopolitana congregata est, quae Constantinum admonuit, ut Maximum eiusque discipulos exilio multaret. Quo factum est, ut Maximus in Bizyam castellum Thraciae, alter Anastasius Perberim, alter Mesembriam „nudi, nulla habentes alimenta, omni ad vitae usum commeatu carentes“ in exilium mitterentur.[1])

Sed Constantinus imperator et Petrus patriarcha spem non deposuerunt Maximum ecclesiae Constantinopolitanae conciliari posse. A quibus Theodosius, episcopus Caesareae Bithyniae et Paulus Theodosiusque consules missi die 24 Augusti mensis anni 656 Bizyam venerunt, ut denuo cum Maximo agerent.[2])

Atque ex hac disputatione dilucide apparet, quanti imperatoris interfuerit Maximum cum Graecis consentire. Nam cum Maximus Theodosio quaerenti, qua de causa cum sede Constantinopolitana concordare nollet, respondisset (sicut antea) se Cyri capitibus, ecthesi, typo prohiberi, episcopus nomine Constantini promisit typum sublatum iri, si Maximus cum imperatore consentiret. Sed hic tanta concessione non contentus praeterea postulavit, ut Graeci ea, quae synodus Lateranensis decrevisset, probarent. Disputatione deinde inter Theodosium et Maximum de numero voluntatum facta

1) Cf. Relatio Motionis etc. Migne l. c. p. 130.

2) Huius disputationis acta ad nos venerunt, Migne l. c. p. 135 sqq. De tempore cf. cap. II cum cap. XXIV.

Theodosius quidem quae Maximus contendit probare videbatur et statim paratus erat litteris duas naturas et voluntates Christi agnoscere, si Maximus cum ecclesia Constantinopolitana faceret. Hic autem respondit se simplicem monachum non audere talem assensum scriptum accipere, immo potius opus esse secundum regulam ecclesiasticam imperatorem et patriarcham hac in re ad papam se convertere. Theodosius etiam huic postulationi cedens petivit a Maximo, ut secum veniret, si ab imperatore et patriarcha Romam mitteretur, ut cum papa pacis causa ageret. Quod Maximus se facturum esse pollicitus est omnesque, qui huic disputationi intererant, prae laetitia lacrimas effudisse dicuntur, quia tunc quidem sperari potuit pacem inter Maximum et ecclesiam Constantinopolitanam i. e. inter ditheletas et monotheletas factum iri.

Theodosius autem episcopus, quamvis modo duas Christi voluntates probavisset, paulo post ex Maximo quaesivit, num nullo tandem modo unam voluntatem et operationem dicere posset. Sed abbas in pristina sententia perseveravit. Theodosius postquam dixit se sperare imperatorem adduci posse, ut legatos Romam mitteret, cum eis, qui cum eo ad Maximum venerant, abiit.

Constantino autem persuaderi non poterat, ut ea, quae Theodosius proposuerat, acciperet. Immo denuo omnia molitus est, ut Maximum sibi conciliaret. Eius iussu die 8 Septembris anni 656 Paulus consul ad Maximum rediit[1]), ut eum Bizya in monasterium S. Theodori, quod prope Rhegium situm erat, traduceret. Inter acta Maximi etiam verba praecepti Paulo ab imperatore dati, quae integra mihi esse videntur, ad nos venerunt haec: „*Κελεύομεν τῇ σῇ ἐνδοξότητι ἀπελθεῖν ἐν Βιζύῃ, καὶ ἀγαγεῖν Μάξιμον τὸν μόναχον μετὰ πολλῆς τιμῆς καὶ κολακείας, διά τε τὸ γῆρας καὶ τὴν ἀσθένειαν καὶ τὸ εἶναι αὐτὸν προγονικὸν ἡμῶν, καὶ γενόμενον αὐτοῖς τίμιον· καὶ θέσθαι τοῦτον ἐν τῷ εὐαγεῖ μοναστηρίῳ τοῦ ἁγίου Θεοδώρου, τῷ διακειμένῳ πλησίον τοῦ Ῥηγίου· καὶ ἐλθεῖν καὶ μηνῦσαι ἡμῖν, καὶ πέμπομεν ἐκ προσώπου ἡμῶν δύο πατρικίους ὀφείλοντας διαλεχθῆναι τὰ παραστάντα ἡμῖν, φιλοῦντας ἡμᾶς ψυχικῶς καὶ φιλουμένους παρ' ἡμῶν· καὶ ἐλθεῖν, καὶ ἀναγγεῖλαι ἡμῖν τὴν παρουσίαν αὐτοῦ*“.[2])

Patricii, de quibus in hoc praecepto sermo est, Troilus et Epiphanius fuerunt, qui una cum Theodosio episcopo Maximum

1) Sexto Idus Septembris quintae decimae indictionis. Cf. Migne l. c. p. 159.

2) Migne l. c. p. 160.

adierunt atque summos honores illi promittentes rursus conati sunt eum commovere, ut typum probaret. Troilus haec verba imperatoris recitavit: „*Ἐπειδὴ πᾶσα ἡ Δύσις καὶ οἱ ἐν τῇ Ἀνατολῇ διαστρέφοντες εἰς σὲ θεωροῦσι· καὶ ἅπαντες διὰ σὲ στασιάζουσι, μὴ θέλοντες συμβιβασθῆναι ἡμῖν διὰ τὴν πίστιν· κατανύξοι σε ὁ Θεὸς κοινωνῆσαι ἡμῖν ἐπὶ τῷ παρ' ἡμῖν ἐκτεθέντι Τύπῳ, καὶ ἐξερχόμεθα ἡμεῖς δι' ἑαυτῶν εἰς τὴν Χαλκῆν, καὶ ἀσπαζόμεθά σε, καὶ ὑποτιθέμεθα ὑμῖν τὴν χεῖρα ἡμῶν, καὶ μετὰ πάσης τιμῆς καὶ δόξης εἰσάγομεν ὑμᾶς εἰς τὴν μεγάλην Ἐκκλησίαν, καὶ μεθ' ἑαυτῶν ἱστῶμεν ἐν ᾧ κατὰ συνήθειαν οἱ βασιλεῖς ἵστανται, καὶ ποιοῦμεν ἅμα τὴν σύναξιν, καὶ κοινωνοῦμεν ἅμα τῶν ἀχράντων καὶ ζωοποιῶν μυστηρίων τοῦ ζωοποιοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ· καὶ ἀνακηρύττομέν σε Πατέρα ἡμῶν· καὶ γίνεται χαρὰ οὐ μόνον τῇ φιλοχρίστῳ καὶ βασιλίδι ἡμῶν πόλει, ἀλλὰ καὶ πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ. Οἴδαμεν γὰρ ἀσφαλῶς, ὅτι σοῦ κοινωνοῦντος τῷ ἁγίῳ τῶν ἐνταῦθα θρόνῳ, πάντες ἑνοῦνται ἡμῖν, οἱ διὰ σὲ καὶ τὴν σὴν διδασκαλίαν ἀποσχίσαντες τῆς κοινωνίας ἡμῶν*".[1])

Ex his imperatoris verbis plane elucet unionem monotheletarum et ditheletarum solo ab arbitrio Maximi dependisse; et facile intellegi potest Constantinum maluisse ad omnes concessiones descendere, ut Maximum, quippe qui apud omnes Christianos gravissimae auctoritatis esset, sibi conciliaret, quam eum resistentem statim sicut Martinum papam punire. Sed ne his quidem splendissimis promissis Maximus a sua sententia abduci potuit. Itaque Graeci nunc putaverunt se non iam habere, quod abbati contumaci diutius parcerent. Nam cum ii qui aderant Maximum proposita imperatoris refutantem viderent, eum verberibus aliisque contumeliis affecerunt. Et sequenti die Troilus et Epiphanius Maximo dixerunt se etiam eius discipulos examinaturos esse et, si ab hostibus (sc. ab Arabibus) aliquid otii nacti essent, papam quoque, qui „nunc animos extolleret et insolesceret", et omnes Romanos cunctosque Maximi discipulos haud aliter tractaturos esse, atque Martinum papam tractavissent.[2])

Paulo ante accepimus Petrum patriarcham animo elato Maximum certiorem fecisse ecclesias Constantinopolitanam et Romanam unitas esse, postquam responsales Romani dogma trium voluntatum probavissent. Sin vero iam audimus Graecos papae irasci, quod „insolesceret et animos extolleret", colligi debet discordias interim

1) Migne l. c. p. 161 sq. 2) Migne l. c. p. 168.

inter utramque sedem recruduisse. Ut ex Anastasii monachi epistula ad monachos Calarienses data apparet, Graeci responsales ad papam cum litteris remiserant, ut eum ad doctrinam novam converterent.[1]) Haud scio an Eugenius ad pacem cum Constantinopolitanis faciendam inclinatus fuerit. Sed clerici et populus Romanus, cuius odium in Graecos magnum haud raro cognovimus, unionem tunc quidem turbaverunt. Auctor enim vitae Eugenii prodit[2]) Petrum epistulam synodicam Romam misisse, qua verbis obscuris usus neque de operationibus neque de voluntatibus dilucide disseruisset. Quam ob rem clerum et populum Romanum tantopere iratum esse, ut papam in basilica S. Mariae ad praesaepe cogeret, illam epistulam refutare. Cum haec epistula, quae propositionem doctrinae trium voluntatum continuisse mihi videtur, a Romanis et papa refutaretur, probabile fit papam etiam illas litteras, quas responsales secum Romam portaverant, refellisse. Unde facile intellegitur Constantinum, cum unionem denuo turbatam esse cognosceret, omni studio enixum esse, ut Maximum ad ecclesiam Constantinopolitanam perduceret. Quod si factum esset, imperator sperare potuit etiam omnes reliquos adversarios ecclesiae Constantinopolitanae facile conciliatum iri, ut ex eius ipsius verbis plane elucet. Nunc vero Constantinus, cum abbatem in obstinatione inflexibili perseverantem videret, ipsum eiusque discipulos pleno odio et ira persecutus est. Postquam Maximus Selymbriam et inde Perberim transportatus est, ubi aliquamdiu in exilio vixit, Constantinopolim adductus a synodo una cum discipulis, Martino, Sophronio omnibusque ditheletis exsecratus est. Proditur in actis Maximi[3]) et eum et duos Anastasios discipulos decreto synodi, nempe quae voluntatem imperatoris proclamaverit, praefecto urbis traditos esse, ut eos verberibus castigaret eisque manus dexteras et linguas resecaret.[4]) Quo facto eos mutilatos per duodecim regiones urbis circumductos et deinde in Lazicam (ad Pontum Euxinum sitam) relegatos esse, quo die 8 Iunii anni 662 venerunt, ut Anastasius responsalis in epistula ad Theodosium scripta[5]) refert. Inde Maximus in castellum quod Schemari

1) Migne l. c. p. 133 sqq. 2) Lib. pontif. I p. 185, 6 sqq.

3) Migne l. c. p. 170.

4) Theoph. p. 347, 7 et p. 351, 19 sqq. et Georgius Monachus l. c. p. 717, 16 sqq. narrant tantummodo Martinum tam crudeliter esse mutilatum. Neque Anastasius in epistula ad Theodosium data, ubi accuratissime omnia commemorat, quae Cpoli accidissent, refert sibi et alteri Anastasio linguas et dexteras esse recisas. Prodit tantum se multa tormenta et verbera sustinuisse.

5) Migne l. c. p. 171.

dicebatur deductus est, ubi iam die 13 Augusti anni 662 obiit. Anastasii autem in castella Scotonum et Buculum translati et paucis diebus post alia in loca tracti sunt. Die 24 Iulii Anastasius monachus e vita discessit; responsalis 11 die Octobris mortuus est.[1])

Quamquam Maximus, princeps ditheletarum, summa pertinacia consiliis Constantini pacem spectantibus obluctatus est, tamen unio inter sedes Romanam et Constantinopolitanam perfecta est. Etenim exemplis Martini papae aliorumque ditheletarum, qui imperatori restiterant, Constantinus effecit, ut novus papa, Vitalianus nomine, qui anno 657 Eugenium excepit, multo submissiorem et faciliorem se praestaret. Ex altera autem parte etiam Constantinum comitate in Vitalianum usum esse invenimus. Nam auctor vitae Vitaliani[2]) narrat eum responsales cum epistula synodica Constantinopolim misisse, ut ordinationem suam nuntiaret. Quibus susceptis privilegia ecclesiae Romanae ab imperatore renovata esse. Quin Constantinum „beato Petro apostolo evangelia aurea“, quae „gemmis albis mirae magnitudinis ornata essent“, misisse audimus. Itaque non dubitandum est, quin Constantino re vera contigerit, ut Romanos denique ad suam doctrinam probandam adduceret.

Constantinus imperator Theodosium fratrem occidit, Sclavinis bellum infert consilium imperii Romam transferendi capit.

Postquam Constantinus acerrimis suppliciis, quibus in multos ditheletas usus erat, iram multorum civium contraxit[3]), tunc vero facinus commisit, quo omnino, quod gratiae populi supererat, perdidisse videtur. Theodosium enim fratrem necari iussit suspicatus eum imperium sibi appetere.[4]) Suspicionem autem falsam fuisse consentiunt Syrus Noeldekianus[5]) et Michael Syrus.[6]) Quo scelere imperator omnium luctum maximumque odium movit, cum Theodosius gratia et amore populi usus esset.[7]) Graeci ira tantopere in Constantinum incensi sunt, ut ei magna voce maledicerent

1) Cf. verba, quae Anastasii epistulae ad Theodosium missae addita sunt. Cf. Migne l. c. p. 178.
2) Lib. pontif. I p. 186. 3) Theoph. p. 351, 24 aliique.
4) Theoph. p. 347, 25; Georgius Monach. p. 717, 11; Elias Nisib. sub A. H. 39.
5) Ztschft. d. D. M. G. 29 p. 95. 6) ed. Langlois p. 240.
7) Syrus Noeld. p. 95.

eumque „alterum Cain“ et „fratricidam“ inclamarent.[1]) Imprimis autem propter caedem fratris odium exercitus excitasse dicitur[2]), id quod nimirum ei maxime erat timendum.

Cedrenus (l. c. p. 762,9) prodit Constantinum antea a Theodosio offensum esse, eaque re eum opera Pauli patriarchae tonsum diaconum fecisse. Qua Cedreni narratione si verum referretur, Theodosius, cum Paulus Decembri mense anni 653 sive 654 mortuus sit, ante annum 654 aut 655 diaconus factus esset. Sed cum proelio navali anni 655 ad Phoenicem commisso interfuisset et copiae eius caede tantopere exacerbatae essent, ei non munus diaconi sed potius imperium aliquod copiarum esse delatum videtur. Etenim probabilius mihi videtur eum, cum militibus praeesset, facilius in suspicionem fratris, quasi summam imperii appeteret, incidere potuisse quam si humilis diaconus fuisset.

Constantinus igitur cum populum et copias tam infestis animis esse videret, sponte intellexit se in capite imperii in magno periculo esse. Atque hoc ipso periculo quod ei Constantinopoli imminebat commotus esse mihi videtur, ut bellum contra Sclavinos susciperet; sic enim imperator urbem tumultuosam deseruit et ex altera parte animi militum, cum in bellum proficiscerentur, alio deducti sunt. Haud scio an imperator speraverit se bello prospere gesto animos civium militumque sibi reconciliaturum esse. Tempus ad bellum gerendum opportunum erat; etenim, cum paulo ante inter Graecos et Arabes pax facta esset, non erat timendum, ne Mavia, cum Constantinus contra Sclavinos ad septentriones versus profectus esset, Graecos a tergo aggrederetur. Imperator, ut Syrus Noeldekianus (l. c. p. 95) narrat, uxorem[3]) secum ducens Constantinum filium[4]), postquam ei imperium tradidit, Constantinopoli reliquit. Graeci secundo Marte cum Sclavinis pugnaverunt et hostibus subiectis multos in captivitatem abducentes domum reverterunt.[5])

Quod attinet ad rationem temporum quibus res modo tractatae gestae sint, haec proferre mihi liceat. Theophanes expeditionem

1) Ibid. Bar Hebraeus l. c. p. 112.

2) Bar Hebraeus l. c. p. 112; Michael Syrus l. c. p. 240.

3) De imperatrice aliquid accuratius comperire non possumus; ne eius nomen quidem traditum est.

4) Pagi (ad ann. 654 XV) conicit Constantinum III Constantinum filium, Pogonatum cognomine, post diem 5 Aprilis et ante diem 26 eiusdem mensis anni 654 socium imperii et Augustum nuncupavisse.

5) Theoph. p. 347, 6 sq.; Elias Nisib. sub A. H. 39.

in fines Sclavinorum factam anno mundi 6149 = A. D. 657/8 tribuit, antequam de pactione, quam Mavia ab imperatore impetraverat (autumno a. 659), verba facit. Sed haud credibile videtur Constantinum, cum bellum haberet cum Agarenis, Sclavinos aggressum esse. Immo probabilius est bellum Sclavinium exortum esse, cum Graeci pactionem cum Mavia fecissent. Atque reapse Syrus Noeldekianus[1]) et Elias Nisibenus[2]) expeditionem contra Sclavinos susceptam A. Sel. 970 = A. M. 6150, eidemque anno occisionem Theodosii assignant. Theodosius autem necatus esse videtur, antequam Constantinus in fines Sclavinorum profectus est, quia Syrus Noeldekianus[3]) iram civium, quae propter necem Theodosii mota esset, causam fuisse narrat, cur imperator expeditionem in Sclavinos susciperet.[4])

Quamquam Constantinus a Sclavinis victoriam reportaverat, tamen odium Graecorum permansit. Atque haud scio an animis infensis civium commotus sit, ut consilium caperet Constantinopolim relinquere et Romae, in capite veterum Caesarum, novam sedem imperii collocare.[5]) Licet simul alia causa imperatorem ad hoc consilium adduxerit. Nescio an speraverit se ex Italia vel Sicilia profectum facilius Arabes ex Aegypto provincia expellere et hanc regionem recuperare posse.[6]) Priusquam autem Constantinus Romae sedem collocare potuit, Langobardos, qui maximam partem Italiae exceptis nonnullis oppidis maritimis (e. g. Tarento, Neapoli) et Roma et Ravennati exarchatu obtinuerunt, subicere debuit.

1) L. c. p. 95. 2) Sub A. H. 39 = A. Sel. 970.

3) Syrus Noeld. prodit Constantinum contra gentes septentrionales profectum esse. His autem gentibus Sclavinos esse dictos persuasum habeo, quia apud Theophanem aliosque sola de gente Sclavinorum sermo est.

4) Etiamsi Elias Nisib. sub A. H. 39 (A. Sel. 970) illam expeditionem ante caedem Theodosii narrat, huic ordini rerum nullum momentum tribuendum est. Nam sub eodem anno primum de frigore nocturno mensis Nisân (Aprilis), deinde de terrae tremore mensis Hezîrân (Iunii) agit (cf. Ideler, Hdb. d. techn. Chronologie I p. 430). Et quia A. H. 39 ab 29 die Maii A. D. 659 incipit, illum tremorem terrae ante frigus nocturnum ortum esse in promptu est.

5) Cedrenus l. c. p. 762, 20 quidem prodit Constantinum Byzantium deseruisse, quod eum Byzantii *μονοθελητὴν καὶ κακόδοξον* odissent. Ut praetermittam illo tempore plerosque Constantinopolitanos monotheletas fuisse, Constantinus, si propter odium quidem ditheletarum, qui Cpoli habitabant, Romam profectus esset, de fumo ad ignem venisset.

6) Cf. Bury, History of the later Roman empire II p. 299.

Postquam Constantinus III Constantino filio imperium administrandum demandavit, magno cum exercitu anno 662 Constantinopoli profectus est.[1]) Secundum litus vectus primum Athenas cursum tenuit[2]), ubi eum hieme 662/3 moratum esse conicitur.[3]) Inde mare transgressus ad Tarentum naves appulit copiasque exposuit.

Sed priusquam res, quas imperator in Italia et Sicilia gessit, persequemur, antea alia tractare liceat.

De pugnis, quae extremo tempore imperii Constantini inter Graecos et Arabes in orientalibus partibus imperii commissae sunt.

Cum Ali die 21 Ianuarii anni 661 interfectus esset, Mavia hoc adversario hosteque liberatus est.[4]) Et postquam Irak provincia pacata Hasan, Ali filius abdicavit, Mavia solus summam imperii Arabum tenuit.[5]) Nunc quidem putavit se non iam habere, quod pacem turpissimam, quam a Graecis tributo solvendo emerat, diutius servaret. Num per legatos pacem renuntiaverit et Graeci ab eo petiverint, ut pax prorogaretur (cf. Syrum Noeld.), pro certo dici non potest. Cum Mavia anno 661 rerum potitus esset, Arabes ab illo tempore iterum videntur statuisse in Graecorum fines irrumpere. Atque re vera Tabari primam expeditionem Arabum in Romaniam factam A. H. 42 (26 April. 662 — 14 April. 663)[6]) tribuit, qua occasione, si Arabico scriptori fidem habere possumus, Arabes cum Graecis copiis proelia commiserunt, quibus multi patricii interfecti sunt.[7]) Sequenti anno (A. H. 43 = 15 April. 663 — 4 April. 664) Agareni duce Busur invasionem in fines Graecorum fecerunt ibique hiemaverunt. Tabari quidem auctore, qui Waqidi nixus est, Busur usque ad Constantinopolim processit[1]);

1) Cf. Vita S. Barbati; M. G. H. l. c. p. 558, 19.

2) Vita Vitaliani, Lib. pontif. I p. 186, 8.

3) Lebeau, Histoire du Bas-Empire XI p. 386; Gregorovius l. c. p. 148 sq. Theophanes tradit imperatorem A. M. 6153 = indict. 5 = A. D. 661/2 profectum esse. Ex vita autem Vitaliani elucet eum indictione 6 = A. D. 663 in Italiam venisse, qua re coniectura virorum doctorum laudatorum probabilis videtur.

4) Cf. Weil l. c. I p. 251.

5) Ibid. p. 266; Elias Nisib. sub A. H. 41 (7 Mai. 661—26 April. 663).

6) Huic anno Elias Nisib. initium indutiarum perperam assignat; cf. Wellhausen l. c. p. 421 adn. 2.

7) Journal of Hellenic Stud. 18. 1898 p. 184.

sed quia Graeci auctores huius rei memoria satis dignae nullam mentionem faciunt, de Arabica narratione dubitandum esse videtur. Theophanes tantum haec refert (A. M. 6154 = 662/3): *Τούτῳ τῷ ἔτει ἐπεστράτευσαν οἱ Ἄραβες κατὰ Ῥωμανίας καὶ πολλοὺς ᾐχμαλώτευσαν καὶ τόπους πλείους ἠρήμωσαν.*

Etiam expeditiones navales Saraceni illo tempore denuo susceperunt. Teste Tabari[2]) Busur sequenti anno (A. H. 44 = 4. April 664—23. Mart. 665) cum classe Arabica Graecos lacessivit. Amplior fuisse videtur incursio, quam Abd Al Rachman, praefectus Emesenus, fecit. Anno 665 in Romaniam irrumpens cursum mediam per Asiam minorem tenuit et, postquam copias suas in terra hostium in hibernis collocavit, vere anni 666 domum rediit[3]). Syrus Noeldekianus qui paulo accuratius de hac expeditione disserit, nonnulla oppida nominat, quae Abd Al Rachman cepisse dicitur, inter haec etiam Smyrnam. Haud scio an Abd Al Rachman tam penitus in terram hostium penetraverit propterea, quod eius vires quinque milibus Sclavinorum, qui se cum Arabibus coniunxerant, magnopere auctae sunt, ut Theophanes refert.[4]) Nonnullarum calamitatum, quas Arabes incurrentes acceperunt, testis est Syrus Noeldekianus.[5]) Abd Al Rachman revertens Sclavinos secum duxit, quibus in Seleucobolo vico ad Apameam sito domicilia data sunt. Postquam Abd Al Rachman Emesam rediit, Mavia auctore interfectus est, quippe cui magna illius potentia suspiciosa videretur.[6])

De nominibus ducum, qui expeditionibus annorum 666 et 667 praeerant, fontes divergunt. Tabari sub A. H. 46 (13 Mart. 666 — 2 Mart. 667) plurium ducum mentionem facit.[7]) Num de diversis expeditionibus eiusdem anni agatur, diiudicari nequit. Tabari et Elias Nisibenus consentiunt Malikh, filium Hubeirae, A. H. 47 copias Arabicas in Graecorum fines duxisse ibique in hibernis collocavisse (A. D. 667/8).

Quamvis Arabes quotannis impetus in Romaniam renovarent, tamen invenimus eos nullas regiones latiores Asiae minoris expugnavisse suoque imperio adiunxisse. Atque conicitur iure insigni institutione[8]) thematum quidem prohibitum esse, quominus

1) Journal of Hellenic Stud. 18. 1898 p. 184; Elias Nisib. sub A. H. 43.

2) Journal of Hellenic Stud. 18. 1898 p. 184.

3) De tempore huius invasionis Wellhausen accuratius egit. l. c. p. 421 sq.

4) Theoph. p. 348, 18 sqq.

5) L. c. p. 97 sq.

6) Journ. of Hellenic Stud. l. c. p. 185.

7) Ibid.

8) Cf. H. Gelzer, Die Genesis der Byzant. Themenverfassung, Abhdlg. d. sächs. Ges. d. W. 41. Bd. Philol.-Hist. Klasse 18. 1899.

fines imperii mutarentur. Proeliis, quae inter Agarenos et Graecos in Asia minore commissa sunt, imprimis exercitus thematum Anatolici et Armeniaci interfuisse putandi sunt. Cum auctor vitae Adeodati[1]) narret Mizizium Armenium Constantino mortuo in Sicilia cum exercitu orientali contra novum imperatorem rebellavisse, Constantinus partes exercitus Anatolici in Siciliam transtulisse videtur, quae ei ad Saracenos impugnandos opus erant. Eum totum exercitum thematis Anatolici in Siciliam secum duxisse non est cur coniciamus, quia veri dissimile est imperatorem thema, cum Arabes quotannis incurrerent, omnibus copiis nudavisse.

Fidem Armeniorum ambiguam esse satis adhuc cognovimus. Denique audivimus eos Arabibus se subiecisse, postquam Mavia rerum potitus sit. Illos autem aliquamdiu rursus sub imperio Constantini fuisse colligendum est, cum anno 667/8[2]) eos contra Graecos rebellantes inveniamus. Princeps motus Saborius praethematis fuit, qui e gente Persica oriundus adhuc ab imperatore fectus beneficiis affectus esse dicitur.[3]) Cum putavisse videatur se solum diutius Graecis resistere non posse, Sergium ducem ad Maviam misit, ut auxilium Arabum peteret. Ipse promisit se Romaniam Arabibus subiecturum esse. Cum Constantinus, qui patre absente imperium tenuit, comperisset Saborium cum Agarenis communicare, Andream cubicularium Damascum misit, qui Maviae chalifae dona offerens persuaderet, ne cum rebellante faceret. Legati Constantini et Saborii Damascum coram chalifa convenerunt. Theophanes et Bar Hebraeus verba disputationis, quae illi fecisse dicuntur, memoriae produnt. Sine dubio Arabi ea placuerunt, quae Graecis, hostibus eius, quam maxime detrimento essent. Itaque mirum non est, quod Andreas frustra conatus est a Mavia quae petivit impetrare. Nam si Mavia promisit se cum Graecis pactionem facturum esse ea condicione, ut ei vectigalia Graecorum traderentur, praescivit Graecos hanc condicionem iniquissimam, quae nil aliud nisi illorum subiectionem vellet, repudiaturos esse.

Postquam Andreas frustra cum chalifa egit, Melitenam se contulit, ubi Sergio, a quo coram Mavia graves contumelias acceperat, insidias collocavit. Hic enim in eandem regionem, postquam chalifa ei promisit se Phadalam cum Arabicis copiis Saborio

1) Lib. pontif. I p. 190, 6.

2) Soli Theophanes (A. M. 6159 = A. D. 667/8) et Bar Hebraeus l. c. p. 113 huius rebellionis mentionem faciunt, quorum narrationes ad unum eundemque fontem referendae sunt.

2) Bar Hebraeus p. 114.

auxilio missurum esse, proficisci voluit. Sergius in itinere captus et ad Andream adductus est, qui adversarium, ut iniuriam ab illo acceptam ulcisceretur, crudelissime mutilatum suspendendum curavit.

Constantinus cum comperisset Phadalam Saborio auxilio venire, Nicephoro patricio, postquam eum exercitui praefecit, bellum contra rebellantes gerendum mandavit. Priusquam autem manus conseruerunt, Saborius, qui Adrianopoli[1]) copias paravit, de equo consternato lapsus e vita discessit. Una cum morte principis seditio exstincta est et Armenii, ut ex Theophanis verbis concludi potest, sub imperium Graecorum rediisse videntur.[2]) Theophane teste Phadalas cum Hexapolim venisset et, quae interim gesta essent, comperisset, cognovit se hac mutatione rerum magnum in discrimen vocatum esse. Qua re a Mavia auxilium petivit.

In rebus sequentibus narrandis Theophanes cum Arabicis scriptoribus discrepat. Quo auctore Mavia Iazid filium ad Phadalam cum auxiliis misit. Postquam se coniunxerunt, Chalcedonem progressi sunt. Etiam Amorium ceperunt, ubi praesidium quinque milium militum reliquerunt. Deinde in Syriam redierunt. Haec quidem Theophanes refert. Arabes vero Bosporum transgressos Byzantium ipsum obsedisse ex Arabicis fontibus et Syro Noeldekiano elucet.[3]) Sed dum caput imperii ab hostibus urgetur, Constantinus imperator in Sicilia dolo necatus est. Age vero iam ad occidentem nos convertamus.

Quae Constantinus in Italia et Sicilia gesserit.

Tempore, quo imperator Italiam intravit, Grimoald regnum Langobardorum obtinuit et Romuald, filius iuvenis regis, Beneventano ducatui, quippe quem ab Alboino rege institutum duces expugnatis regionibus ad meridiem sitis amplificavissent, praeerat. Hanc partem Italiae Constantinus primam Langobardis eripere studuit; atque eum initio belli rem satis prospere gessisse videbimus.

Imperator Tarento primum in Apuliam se convertit et huius

1) Hieroclis Synecdemus; 695, 3?

2) Theoph. p. 350, 29: *Φαδαλᾶς ἀπέστειλε πρὸς Μαυΐαν αἰτῶν βοήθειαν διὰ τὸ τοὺς Ῥωμαίους εἰς ὁμόνοιαν ἐλθεῖν.*

3) De hac expeditione cf. quaestiones diligentissimas Wellhauseni p. 422 sq.

regionis omnes fere urbes cepit et vastavit.[1]) Acheruntia quidem, quae natura loci satis firma fuit, expugnari non potuit. Luceria autem, urbs propter divitias celebrata, post vehementem oppugnationem oppressa et solo aequata est.[2]) Constantinus praeter omnem Langobardorum opinionem in Italia meridionali advenisse videtur; nam invenimus eum totam fere Apuliam nullo exercitu Langobardico prohibente diripere potuisse.

Inde Constantinus Beneventum cursum direxit, quo oppido expugnato opes Langobardorum in illis Italiae partibus prorsus fractae esse videbantur. Graeci undique urbem clauserunt et variis tormentis usi vehementer oppugnaverunt. Romuald, qui Beneventum defendebat, cum hostibus acie decertare non ausus est, quia Langobardi multo Graecis inferiores erant. Itaque eruptiones inopinatas facientes obsidentibus saepissime calamitates intulerunt.[3]) Ut Paulus Diaconus refert, Romuald ubi primum de imperatoris adventu audivit, Sesualdum senem, a quo educatus erat, ad Grimoaldum patrem, qui trans Padum versabatur, miserat et, ut quam celerrime auxilio veniret, petiverat. Quo audito rex statim cum exercitu Langobardorum Beneventum profectus[4]) ex itinere Sesualdum ad Romualdum praemisit, qui regis adventum nuntiaret. Sesuald autem a Graecis captus imperatori interroganti, unde veniret, aperuit Grimoaldum regem cum exercitu Beneventanis subsidio venire. Cum Constantinus exercitui Langobardorum appropinquanti resistere non auderet consilio habito obsidionem dimittere constituit. Antea autem, si narrationem Pauli Diaconi recte ita interpretamur, imperator dolo urbe potiri conatus esse videtur. Paulo enim auctore Constantinus Sesualdo praecepit, ut Romualdo nuntiaret Grimoaldum venire non posse. Sin vero de eius adventu aliquid diceret, eum interfectum iri. Hic autem cum ad moenia oppidi adductus esset, veritatem professus duci inclamavit patrem Beneventanis auxilio accedentem nocte praeterita iam ad Sangrum flumen cum magno exercitu fuisse. Cum Constantinus, ut videbatur, dolo utens Langobardos per Se-

1) Pauli Historia Langob. l. c. p. 147, 10.

2) Ibid. 3) Paulus Diac. l. c. p. 148, 1 sqq.

4) Quia provincias Italiae, quae ad meridiem sitae sunt, prorsus nudas copiis Langobardicis fuisse vidimus et nunc audimus Grimoaldum regem cum exercitu trans Padum fuisse, cum Constantinus in Italiam adveniret, conicio Langobardos exspectavisse imperatorem ad Ravennam naves appulsurum esse. Illos omnino Constantini consiliorum Italiae sibi subiciendae inscios fuisse haud ita credibile mihi videtur, quia Graeci tantam expeditionem clam praeparare non potuerunt.

sualdum ad deditionem adducere vellet, verbis huius viri, qui fidem suam capite solvit, Beneventanos potius ad resistendum incitatos esse intellexit. Et quia non ignorabat incolas omnia molituros esse, ut oppidum obtinerent, donec auxilium promissum adveniret, pactionem cum Romualdo iniit, qua, si verba Pauli recte intellego, Beneventani promiserunt se Graecos Neapolim recedentes nulla calamitate affecturos esse. Atque Constantinus Gisam, sororem Romualdi, obsidem accepit, ut Langobardi ea, quae constituta essent, praestarent.[1])

A Beneventanis quidem Graeci Neapolim iter facientes tuti erant; sed a Mitola, Capuano comite, oppressi maximam cladem acceperunt. Paulus narrat locum proelii etiam sua aetate „Pugnam“ esse dictum. Quo quidem auctore proelium ad Calorem flumen, quod non longe a Benevento fluit, est commissum. Eum autem erravisse et Calorem fluvium perperam cum Sabato confudisse Camillus Peregrinus contendit.[2])

Postquam Langobardi Constantinum tam vehementer presserunt, imperator forsitan satis habuerit, cum Neapolim intraret, in tuto esse. Sed spem ipsam non deiecit se hostes superaturum esse. Neapoli novae copiae paratae esse videntur; nam Paulus narrat[3]) nobilem quendam, Saburrum[4]) nomine, ab imperatore viginti milia militum sibi expetivisse, quibus se Beneventanos victurum esse promisisse dicitur. Cum Grimoald, qui interim Beneventum advenerat, Graecos accedere certior factus esset, Romualdum filium cum parte copiarum Langobardicarum contra Saburrum proficisci iussit. Ad Forinum uterque exercitus concurrit; atque iterum Graeci gravissima clade affecti sunt. Paulus exponit, quomodo Langobardi victoriam sibi pepererint, talem fabulam lepidam narrans. Cum milites utriusque exercitus manus conseruissent, unus e Langobardis, Amalongus nomine[5]), qui hastam regis ferre solebat, Graecum aliquem hasta transfossum ex equo sustulit et supra caput in aëre pendentem portavit. Quod cum Graeci viderent, summo terrore percussi

1) Paulus Diac. l. c. p. 148, 8 sqq.: *„Statimque imperator exterritus consilium cum suis iniit, quatenus cum Romualdo pacisceretur, ut Neapolim possit reverti. Acceptaque obside Romualdi sorore, cui nomen Gisa fuit, cum eodem pacem fecit.“*

2) Paulus Diacon. l. c. p. 149 adn. 1.

3) Ibid. p. 149, 4 sqq.

4) Saborium?

5) Hoc prorsus Gothicum nomen est, unde conicimus in exercitu Langobardorum etiam Gothos pugnavisse.

salutem fuga petiverunt. Pauci tantummodo, inter quos Saburrus fuit, salvi Neapolim effugerunt.

Constantinus tunc intellexit se Langobardos nullo modo subiecturum esse et spem imperii Romam transferendi ad irritum cecidisse. Qua re in Siciliam transmigrare ibique sedem collocare constituit.

Antea autem Romam devertit, ut papam Vitalianum visitaret. Nescio an Constantinus populis christianis ostendere voluerit omnem discordiam et inimicitiam, quae antea inter sedem Romanam et imperium Graecum fuisset, sublatas atque concordiam plane redintegratam esse. Vitalianus satis prudentiae habuit, ut intellegeret sibi rem adversariam fronte et vultu belle ferendam esse. Quid contumacia obstinatioque proficerent, exempla Martini et Maximi multorumque aliorum ostenderant. Vitalianus imperatori se subiciens prorsus huius fidem monotheleticam probavit.

De rebus, quae Romae tunc, cum Constantinus adesset, gestae sunt, auctor vitae Vitaliani nos docet.[1]) Imperator Neapoli Romam profectus Appia via intravisse videtur. Papa et totus clerus Constantino usque ad sextum milliarium obviam iverunt, ubi dominum augustalem solemniter susceperunt. Ubi imperator Romam intravit (5 die Iulii mensis anni 663, qui Mercurii dies fuit) ad templum S. Petri se contulit, ut precibus factis donum S. Apostolo offerret. In palatio veterum Caesarum, cuius partes etiam tunc habitabiles fuisse dicuntur, domicilium videtur collocavisse.[2]) Sequenti die et die Saturni S. Paulum et S. Mariam adiit, quibus ecclesiis dona sacravit. Dominica die cum militibus suis, quorum quisque cereum tulit, solemniter ad S. Petrum processit, quo in templo super altare pallium auro intextum posuit. Post haec missa celebrata est. Saturni die sequenti imperator hospitio papae usus in Lateranum se contulit; postquam lavit, in basilica Vigilii prandium sumpsit. Videmus igitur tunc clericos Romanos, qui olim typum et fidem imperatoris detestati Constantini consiliis maxima cum pervicacia obluctati essent, neque dona imperatoris repudiavisse neque recusasse, quin cum eo ipso quem haereticum dixissent ad mensam domini accederent. Victoria imperatoris maior esse non potuit.

Priusquam Constantinus Roma profectus est, tegulas aureas, quae templum Mariae omniumque Martyrum (Pantheon pristinum) ornaverunt, tolli iussit, quas secum duceret. Haud scio an summa in

1) Lib. pontif. I p. 186, 9 sqq.
2) Cf. Gregorovius l. c. II p. 152.

difficultate nummaria fuerit. Praeterea plurima monumenta aënea, quae olim urbem veterem decoraverant et inter ruinas urbis usque ad illud tempus aetatem tulerant[1]), vi abripuit. Auctor vitae Vitaliani narrat omnia, quae Constantinus ex Roma direpta secum portavisset, in „regiam urbem" esse missa; nec scio an „regia urbe" non tam ad Constantinopolim spectet, ut Paulus dixit[2]), quam ad Syracusas, novam sedem imperii, praesertim cum ex vita Adeodati papae, qui Vitalianum excepit, haec verba exhibeantur[3]): *postmodum venientes Saraceni Siciliam obtinuerunt . . . et praeda nimia vel aere, qui ibidem a civitate Romana navigatum fuerat, secum abstollentes Alexandriam reversi sunt*".

Die dominica imperator et papa invicem sibi valedixerunt, postquam Constantinus missae quam papa celebravit interfuit. Die 17 Iulii mensis Constantinus praeda onustus, tamquam si hostium urbem diripuisset, cum copiis suis Roma profectus[4]) Neapolim rediit, unde itinere terrestri Rhegium se contulit. Auctor vitae Vitaliani eum septima indictione[5]) Siciliam intravisse refert. Constantinus cum Syracusis novam imperii sedem constituisset, etiam uxorem et filios tres Constantinum, Heraclium, Tiberium[6]) Syracusas venire voluit. Constantinopolitani vero, ex quibus Theophanes (p. 351, 27) imprimis Andream cubicularium et Theodorum patricium nominat, non permiserunt illos in Siciliam transmigrare, quia eis timendum erat, ne sedes imperii in omne posterum tempus ad occidentem deferretur, si etiam heredes imperii in Siciliam venissent. Ex Bar Hebraeo clare elucet imperatorem postea consilio suo destitisse suisque Constantinopoli manere concessisse.[6])

1) De statu Romae illius aetatis cf. descriptionem venustam Gregorovii l. c. II p. 155 sqq.

2) Paulus Diaconus, qui verba huc spectantia ex vita Vitaliani exscripsit (l. c. p. 150, 3), putavisse videtur se verba „regia urbe" cum „Constantinopolim" mutare posse.

3) Lib. pontif. I p. 190, 11 sqq.

4) Bar Hebraeus l. c. p. 112 prodit imperatorem Romae cunctatum esse proficisci, qua re indignationem militum commovisset ita, ut dicerent: „parum convenire imperatori, ut Romae commoraretur, quia urbs ab Arabibus abesset." Alia testimonia cum desint, diiudicari nequit, num huic memoriae fides debeatur.

5) 1 Sept. 663—31 Aug. 664.

6) Pagi (ad ann. 659, II) nixus quibusdam verbis actorum sextae synodi ostendit Heraclium et Tiberium anno 659 imperatores nuncupatos esse.

7) Bar Hebraeus l. c. p. 112.

Describentibus nobis, quas res Constantinus in Sicilia gesserit, tenuissima vestigia apud scriptores esse valde dolendum est. Itaque fieri non potest, ut temporis extremi imperii Constantini imaginem illustrem proponamus. Nam Graeci auctores omnino fere nihil de illis annis prodiderunt et Latini quidem solum malorum, quibus Constantinus incolas provinciarum occidentalium affecit, mentionem fecerunt. Et cum ex solis Arabicis fontibus aliquid de pugnis et expeditionibus, quas imperator contra Agarenos suscepit, audiamus, difficile est diiudicatu, quatenus hae Arabicae narrationes, quae multo post res gestas compositae sunt, ad veritatem accedant.

Constantinus, cum in Sicilia versaretur, inter alia hoc egisse videtur, ut exarchatum Africanum, quem temporibus Gregorii patricii ab imperio Graeco defecisse accepimus, sub suam potestatem redigeret. Gregorio interfecto Africam aliquamdiu a Graecorum dicione absolutam esse Diehl conicit.[1]) Sed imperatori contigisse videtur, ut septentrionales partes provinciae reciperet, cum meridionales quidem perditae essent.[2]) Copiae Africanae imperatori prorsus deditae fuisse videntur; nam Constantino interfecto Africanum exercitum cum Italico ad Mizizium, quippe quem copiae orientales imperatorem proclamavissent, opprimendum accedere invenimus.[3])

Constantinus in Sicilia imprimis Arabibus impugnandis operam dedisse videtur. Imperator iam anno 664 cum Agarenis concurrisse putandus est, qui Theophane teste A. M. 6155 (A. Sel. 975) in Siciliam invaserunt.[4]) Agitur de expeditione Saracenorum gravioris momenti, quam hostes post longam intercapedinem ex Aegypto profecti in occidentales regiones Mavia, filio Hudaig, duce susceperunt. Huius expeditionis causam Arabici scriptores dicunt hanc: Constantinus, qui haud scio an indignatus fuerit, quod incolae Africae provinciae ʿAbdallae tributum solverant, patricium quendam misit, qui postularet, ut Africani imperatori tantam summam traderent, quantam olim ʿAbdallae solvissent. Cum patricius Carthagini voluntatem imperatoris pronuntiavisset, incolae non solum postulatum iniquissimum reiecerunt, sed etiam tumultum contra imperatorem fecerunt, cui Eleutherion quidem praefuisse dicitur. Praefectus autem provinciae, cuius nomen (Djenaha) corruptum ad nos venisse mihi videtur, ipse Damascum profectus Maviam chalifam adiit petivitque, ut exercitum Arabicum

1) Diehl, L'Afrique Byzantine, Paris 1896 p. 566.
2) Ibid. p. 567. 3) Lib. pontif. I p. 190, 7 sq.
4) Theoph. p. 348, 13.

mitteret, qui Africam occuparet. Chalifa precibus illius obsecutus copias duce Mavia, filio Hudaig, in Africam misit. Quo audito imperator Nicephorum cum triginta milibus militum in Africam transvehi iussit. Veri dissimile non est Nicephorum ad Sabratam[1]) naves appulisse, ut iam hoc loco hostes accedentes aditu provinciae prohiberet. Qui postquam copias exposuit, ab equitibus Maviae oppressus et victus est, ut cum suis cogeretur se in naves recipere. Mavia ipse Djelulam oppidum obsidione clausit et aliquo tempore post cepit. Num haec memoria En Noweiri compilatoris ad veritatem prope accedat, diiudicare nequeo.

Teste Baladhuri Mavia non ipse in Siciliam transgressus est, sed ʿAbdallam, filium Keis, iussit insulam incurrere.[2]) Arabes classem ducentarum navium paravisse dicuntur, quibus in Siciliam transvecti sunt.[3]) Ad hanc invasionem epistula, quae sub nomine Vitaliani papae ad monachos Siculos data est, referenda esse mihi videtur[4]), unde elucet incolas, cum hostes appropinquarent, fugientes urbes, arces, monasteria, villas, possessiones deseruisse. Theophane teste eis Siculis, quos Agareni secum abduxerunt, Damasci novae sedes assignatae sunt.[5]) Praeter alias res Saraceni etiam imagines gemmis pretiosis distinctas praedati sunt.[6]) Baladhuri narrat Maviam chalifam imagines postea mercatoribus Indicis vendidisse.[7]) Etsi non traditur Graecorum copias cum Arabibus in insula ipsa manus conseruisse, tamen imperatorem enixum esse conici potest, ut hostes quam celerrime a militibus suis eicerentur. Arabes tunc quidem Africa provincia non iam potiti sunt. Demum Ocba anno 670 dominatione christianorum funditus eversa Africam imperio chalifae adiunxit.[8])

Constantinus imperator speravisse videtur se ex Sicilia profectum Aegyptum recuperare posse; nam eum duas classes orna-

1) En Noweiri (Slane) l. c. p. 325 adn. 2; et Journ. Asiat. III ser. 11 p. 144 adn. 2.

2) En Noweiri l. c. p. 326. 3) Ibid. p. 326 adn. 3.

4) Mansi XI p. 21 sq.

5) Lebeau l. c. XI p. 395 verba Theophanis „*Τούτῳ τῷ ἔτει ᾐχμαλωτίσθη μέρος τῆς Σικελίας, καὶ ᾠκίσθησαν ἐν Δαμασκῷ θελήσει αὐτῶν*“ ita interpretatus est, ut illos Siculos ultro Arabes secutos Siciliam deseruisse censeat. At non dubitandum esse videtur, quin incolae vi abrepti sint. Sed eis concessum est, nova domicilia sibi eligere, sicut olim civibus Aradi oppidi.

6) En Noweiri l. c. p. 326 adn. 3.

7) Wellhausen l. c. p. 14.

8) Ibid.

visse audimus, quibus Alexandriam aggredi voluerit.[1] Sin ver imperator tanta molitus est, homines et pecunias quam maximas ei opus fuisse in promptu est. Dubito num Constantinopolitani ei subsidia tulerint. Nam illos imperatoris consilia reprobasse vidimus, cum eius cognatos Constantinopoli retinerent. Itaque Sicilia, Sardinia, Calabria, Africa provinciae impensas, quae bello gerendo fiebant, praestare et naves militesque exhibere coacti sunt. Quantopere incolae illarum regionum tributis et dilectibus acerbis vexati sint, ex querela contemporanei nescio cuius maestissima plane elucet. Exhibentur enim haec verba: „(imperator) *tales afflictiones posuit populo seu habitatoribus vel possessoribus provinciarum Calabriae, Siciliae, Africae vel Sardiniae per diagrafa seu capita atque nauticatione per annos plurimos, quales a seculo numquam fuerunt, ut etiam uxores a maritos vel filios a parentes separarent. Et alia multa inaudita perpessi sunt, ut alicui spes vitae non remaneret. Sed et vasa sacrata vel cimilia sanctarum dei ecclesiarum abstollentes nihil demiserunt*“.[2])

Ex illo tempore, quo Constantinus in Sicilia versatus esto diploma quoddam ad nos venit, quod ab imperatore compositum ad controversiam spectat, quae tunc quidem inter sedes Romanam et Ravennatem exorta est. Maurus enim episcopus Ravennas episcopatum suum a principatu papae Romani absolvere studuit, quem sibi praepositum esse negavit. Imperator nimirum, quippe cuius interesset potestatem papae Romani minui consiliis episcopi Ravennatis favens pro Mauro controversiam diremit, cum haec constitueret: „. . . *Sancimus amplius securam atque liberam ab omni superiori episcopali conditione manere et solum orationi vacare pro nostro exorando imperio, et non subiacere pro quolibet modo patriarchae antiquae urbis Romae, sed manere eam αὐτοκέφαλον et sanctam eius post eam ecclesiam, cum omnibus sibi pertinentibus per dioecesim et parochiis ordinatoribus, sicut reliqui metropolitae pro diversis rei publicae manentes provinciis, qui et a propriis consecratus episcopis, vestris videlicet, et decore Palei, sicut nostrae divinitatis sanctione superna inspiratione perlargitum est. Oportet namque nos eximia devotione honorare eos, qui se nostro servitio toto mentis intuitu instanter devoverunt. Quid vero amplius est honorabile, quam ea, quae ita a nobis pie tractata sunt, pertinentia ad honorem sacerdotis devoti, atque sinceri nobis nimium*

1) Weil l. c. I p. 163 adn. 3.
2) Vita Vitaliani, Lib. pontif. I p. 188, 2 sqq.

parentis. Provide hortamur paternam Beatudinem vestram omnipotentem Dominum incessanter orare pro dilatanda credita nobis ab eius maiestate Romana republica. Fiat."[1]) Hae litterae Martio mense anni 666 datae esse videntur.[2])

Sed accedamus nunc ad exitum Constantini tractandum. Imperator Syracusis occisus est coniuratione facta, quam nobiles quidam, qui inter eius comites erant, conflavisse videntur. Scriptores Andream, filium Troili, et Iustinianum, patrem Germani patriarchae Constantinopolitani, commemorant.[3]) Deinde etiam clericos Siculos coniurationis participes fuisse suspicio non deest, ut ex fragmento epistulae, quam Gregorius II papa ad Leonem Isaurum imperatorem dedit, colligi potest.[4]) Imprimis autem praefecti militum effecisse videntur, ut imperator e medio tolleretur, cum statim Constantino interfecto exercitum Anatolicum novum imperatorem, Mizizium nomine, qui Armenius natione pulchritudine floreret, creavisse prodatur.[5]) Auctores Constantinum tali modo miserabili interfectum esse narrant: cum imperator in balneo, quod Daphne dicebatur, sapone gallico corpus suum illinere coepisset, Andreas filius Troili, qui ei ministerium fecit, sitello, quo sapo conservabatur, caput inopinantis cecidit, ut statim animam efflaret.[6])

Auctor vitae Vitaliani papae diem caedis 15 Iulii mensis indictionis 12 dicit.[7]) Sed hanc descriptionem temporis esse falsam et Constantinum spatio, quod inter 16 diem Septembris et 7 diem Novembris anni 668 occisum esse, Pagi quidem nixus nonnullis locis actorum sextae synodi Constantinopolitanae recte ostendisse putandus est.[8])

Corpus Constantini III a filio Constantino, qui ut patrem ulcisceretur et Mizizii rebellionem exstingueret, in Siciliam venit, Constantinopolim reportatum et in fano apostolorum sanctorum iuxta Constantinum II patrem conditum est.[9])

1) Agnellus, Vita Mauri, M. G. H. Scriptores rerum Langobardicarum ed. Waitz p. 350, 49 sq., 351, 18 sqq.

2) Muratori. Rer. ital. script. II 1 p. 146 adn. V. VI. VII.

3) Theoph. p. 351, 29. 352 not. 9; Cedr. p. 763, 14; Zonaras ed. Dindorf III p. 316, 25.

4) Codex diplomaticus Siciliae: „*Nezenxius enim, qui tam comes obsequii eius erat, ab episcopis Siciliae certior factus haereticum eum esse ipsum . . . trucidavit.*" 5) Theoph. 352, 3; Zonar. l. c. p. 316, 16.

6) Theoph. p. 351, 28 sqq.; Cedren. p. 763, 12 sqq.


7) Lib. pontif. I p. 188, 8.

8) Pagi ad ann. 668, III. Cf. Ranke, Weltgesch. 1884 V 1 p. 168 adn. 2. 9) Cedren. p. 763, 23 sqq.

Vita.

Natus sum Ioannes Kaestner Ienae die 29 mensis Ianuarii anni 1882 patre Gotthilf, matre Alma e gente Sontag, quos ambos veneror superstites. Fidei addictus sum evangelicae. Primis elementis imbutus gymnasium Carolo-Alexandrinum patriae urbis novem per annos frequentavi. Maturitatis testimonium vere anni 1901 adeptus unum annum militavi, post quem universitatem adii Ienensem, ut studiis historicis et philologicis operam navarem. Docuerunt me viri docti hi: Cartellieri, Delbrueck, Eucken, Gelzer, Goetz, Hirzel, Keutgen, Leitzmann, Liebenam, Liebmann, Lorenz, Michels, Noack. Scholis seminarii philologici moderantibus Gelzer, Goetz, Hirzel per tria semestria interfui sodalis ordinarius, per unum subsenior. Ad exercitationes seminarii historici benigne me admisit Cartellieri per tria semestria; seminarii historici a Gelzero recti per quattuor semestria sodalis fui. Quibus viris humanissimis omnibus gratias ago quam maximas. Eum autem virum doleo acerbissimo fato nobis iam ereptum, cui omnium plurimum debeo: Henrici Gelzer memoriam gratissimo animo atque maxima cum pietate colere nunquam desinam.

Ianuarii
ambo
iis ele-
novem
1901
ensem,
uerunt
elzer,
Lieb-
ologici
iterfui
semi-
stria;
odalis
naxi-
tum,
atis-
nam.


WIDENER

